ORATIO DE STVDIIS LIBERA-LIVM ARTIVM HABITA Lucæ ad decemuiros, Se-natumq; Lucenſem.

EPIGRAMMATA DIVERSO-rum auctorum quàm ele-*gantiſsima.*

IACOBI SADOLETI CARDINA-lis oratio de Pace ad Impera-*torem Carolum Quintum Cæſarem Auguſtum.*

VITTORIO MANVELE

LVCAE APVD VINCENTIVM BVSDRAGVM.
MDXLIX.

2

55

A

VINCENTIVS BVSDRAGVS DECEMVIRIS SVMMO LVCENSIVM MAGI-STRATVI SALVTEM DICIT.

CVM mihi in animo eſſet propè diẽ,
Deo auctore, ac uobis adiuuantibus,
optimos quoſq; utriuſq; linguæ li-
bros, quàm pulcherrimis poſſem lite
rarum formis excudẽdos curare; eoſ
demq; quàm emendatiſſimos ex hac
officina noſtra in lucem prodire optarem; idem mihi
faciendum uidebatur, quod muſici excellentiſſimi ſo-
lent; qui antequàm certiora quædam, & meliora ag
grediantur ad canendum; ut contentæ ſint fides, ad cõ
centum ſeruandum, ut ipſæ uoces claræ, & canoræ,
ut teſtudines reſonantes, experimento quopiam, &
quaſi præludio tentant; quo poſſint deinde firmiori
cantu, & ſuauiori ſono, perfectam chordarum æq; ac
uocum harmoniam efficere. Ad horum exemplum
ego priuſquàm ampliorum uoluminum impreſſionẽ
noſtris Typis maturarem, parua quædam, et leuiora
mihi cudenda conſtitui, ut eſſet exemplar quoddam,
& ſpecimen ad effingenda mox quàm plurima, ſi nõ
perfecta omnino, & abſoluta; pluribus certe iam fa-
ctis periculis aliquantò certiora. Colligenti itaq; mi
bi ex omnibus, quæ offerebantur, quæcunq; magis ui

derentur idonea ad perficiendum quod fuerat inſtitutum meum, occurrit oratio hæc inter cætera, ſuperiore anno ex antiquo more ad DecemViros tunc magiſtratum accipientes publicè habita. Quæ quoniam de ſtudijs literarum agit à uobis cum ſumma laude ueſtra paulò ante excitatis, & amplificatis, uiſa eſt rē tractare longe omnium pulcherrimam, & dignam quæ ab omnibus cognoſcatur, neue unq̃ obliuione ulla ex hominum memoria deleatur; quare nullò pacto ſupprimendam cenſui. Nec arbitratus ſum bonum aliquem fore, qui meum cōſilium in hoc genere ſcriptis publicandis reprehenderet. Vobis autem non uoluntatis tantum meæ propenſione, ſed rei ipſius uehementiſsima poſtulatione dicaui. Etenim cum nihil aliud q̃ ſubruſticus tantummodo quidam pudor in conſpectū ueſtrū accedere uerecūdātem me inuitum retraheret, multa erant contrà, & maxima illa quidem, quæ me uolentem ad hoc hortarentur, & impellerent. Nam primùm ſatis eſſe conſentaneū non uidebatur, ut quæ ad uos maxime pertinerent, ac ueſtræ omnino ditionis eſſent, qualis hæc eſt oratio, ea alij, quā ueſtro nomini inſcriberentur. Deinde quibuſnam mihi actionum omnium, & cogitationum mearum ratio potius reddenda erat, quàm uobis? à quibus pro ſummo, in quo eſtis magiſtratu, more, et conſuetudine ciuitatis, omnium ciuium uita, & acta diſci conuenit, & probari? Erat autem tanta erga uos mea obſeruantia, ac potius pietas, tanta publicè, & priuatim reueren-

tia,quibus iam multos annos,uos ſingulos,nunc uerò ſimul omnes multò magis reuereor,& colo,ut in hoc etiam,quãtum poſſem, meus ille animus eſſet uobis declarandus. Accedebat illuc,quòd tantum uobis debeo pro ſummis in me ueſtris,ac maximis beneficijs, pro ueſtra liberalitate,& benignitate,qua erga me longe munificentiſſimi extitiſtis, ut exiſtimarem oportere his uel leuiſsimis officijs declarari,ſic me animo affectum eſſe,ut,ſi gratiam non referrem(quod quidem ne poſſim facit multitudo, ac magnitudo meritorum ueſtrorum)quod autem unum in me poſitum eſſet,habere certe admodum magnam. Neq; uerò ſumma diligentia indaganti facile fuiſſet alterum inuenire, qui ſummis uiribus,& manibus(ut aiunt)& pedibus obnitens,tãtum pro his,quæ ederentur,facere potuiſſet, quantum uos ſolo nutu perficietis, ut ſint ab inuidorum morſibus tuta. Cuius auctoritatis quanta ſit opportunitas illi norunt imprimis, quicunque pro boni uiri præſtito officio,pro recte factis,pro animi candore,pro opera bonis,& ſtudioſis exhibita, perſæpe maleuolorum dẽtibus ſe laceratos eſſe ſenſerunt. Præterea non minimum momentum etiam obtinebat in cauſa, quòd ita perſuaſum habebam tantum gratiæ à uobis bonas literas iam diu meritiſſimò iniſſe(quæ ueſtra eſt uirtus,et ſapientia) ut quidquid de earum laudibus,et pulcherrimis ſtudijs ederetur,id uos poſſetis quaſi ſummo,& optimo iure ueſtro uindicare.Aliud etiam me mouebat maxime,quòd erat ab inſigni hu-

manitate ueſtra(quæ tanta eſt ut ea calamitoſi,et miſerijs oppreßi multi benigne ſubleuentur, & ſubſtententur)magna quædam expectatio, ut ſi quid erratũ in hac impreßione eſſet,qui quidẽ primus eſt noſter in latinis ſcriptis labor.id omne Typographo ueſtro nõdum in hoc artificio undiq; perfecto condonaretis. Poſtremò(ut uerum fatear)ſatis inepte à me factum iudicari potuiſſet ſi à quibus non minus adiumenti ad hoc imprimendi onus ſuſtinendum expectarem,quàm quantum ad ſuſcipiendum acceperim,in ijs (quoquomodo poſſem) conciliandis nõ omnem cogitationem; & induſtriam defixiſſem. Sed quorſum denique hæc tam multa ? nempe ut intelligatis, quæ ſingula ſolent quorumcunque huiuſmodi artificum animos meritò ad hæc officia permouere,ea me in uobis uniuerſa,& maxime illuſtria comperiſſe,& admirari. Quæ uerò pauca, ac parua laudabilia uidimus in permultis principibus uiris, ſumma eloquentia nonnullorum, ampliſsima reddi, eadem q̃ plurima,et quàmmaxima in uobis cum perſpexerim,dolere me,quòd ingenij culpa cogar inuitus præterire,dum uereor;ut à me quæ ullis orationis luminibus illuſtrari non poſſunt ; ea uerborum inani uolutatione obſcurentur. Quamobrem quoniam quòminus me aptum eſſe recipio,qui ueſtras laudes prædicem; eò honeſtius recenſendi prouinciam recuſanti concedi debet. Quantòuero arctius me uobis obligatum fateor,tantò deteriori munere uideor pietati ſatisfacere dum ingratus uideri diſcruci-

or;uos oro,ut ignoſcatis neceßitati. Neque enim com parare nunc mihi eloquentiæ tantum poteram,quãtũ ad ueſtras laudes nullis cõparabiles oratione æquã das eſſet ſatis;neque ullum tam præclarum munus cogitare, quo ueſtra merita aſſequi poſſe conſiderem. Quod in me eſt,in futurũ polliceor;ſi ut ſpero,et opto,ueſtris opibus ſubleuatus,maiora, & meliora habuero horũ optimis quibusq; animũ in uos meum aliquando apertius demonſtraturum. Quidquid enim habeo; Quidquid poſſum; Quidquid ſum;id omne uobis optimè,& præclarè de me meritis (poſt Deos immortales)acceptum refero, ſemperque referam.

Huic orationi;ne ita ſolitaria, & incomitata in conſpectum ueſtrum ueniret,Epigrammata quædam ſubiunxi,nondum(quod quidem ſciam)Aereis huiuſmodi characteribus informata,ſed nõ indigna(iudicio meo) doctorum auribus,& eruditorum. Quæ auctoris nomen inſcriptum habebant,eos ſua gloria non defraudaui. Quæ incerta ferebantur, eorum ſcriptores rogatos uelim,ne mihi ſuccenſeant ſi ſub uſitata inſcriptione promulgaui,neq; enim uolens alicuius nomen reticui. Ea ad uos etiam mitto, quorum non erit ingrata lectio. Me uero, meaque omnia ueſtræ fidei,& poteſtati trado,& committo. Valete.

Scripta,& impreſſa iam ſuperiori epiſtola, nonnulli amici mei,boni illi,et docti uiri,ciues ueſtri,eam, quæ eſt in manibus,orationem mihi attulerunt, Iacobi Sadoleti,Epiſcopi Cardinalis (ut uocant) uiri clarißi-

mi,& eruditiſſimi,qua ille Imperatori Carolo Cæſa-ri de pace cum Gallorum Rege conciliata,gratias agit Chriſtianæ Reip.nomine;eamq; ut q̃ primum excuderem à me contenderunt. Ego id ipſorum rogatu feci libenter,cùm ut iis amicis obſequerer,quos colo; tum eo animo,ut maximum pondus huic meo muneri per hanc orationem acceſſurum exiſtimarē.Eſt enim talis oratio,quæ eius hominis memoriam maxime repræſentet;qui nihil unquam diuino illo,et immortalitatem merito ingenio excogitauit, niſi omnibus numeris perfectum;nihil niſi quod admiraremur,ſcriptum reliquit. Hanc etiam igitur ueſtra amplitudine longe omnium digniſſimam,uobis inſcripſi.

ID.Sext. Lucæ.Anno à Chriſto Nato.

M D I L.

SEBASTIANI MONTIS SACRATI LVCENSIS

oratio, de optimarum diſciplinarum ſtudijs à Senatu populoq; Lucenſi reſtitutis, et auctis, quam Gaſpar Bandinus adoleſcens patritius Lucēſis habuit in Calēdis Martijs ad Decem Viros tunc magiſtratum ineuntes, qui eſt in ea Rep. Summus. Anno ab humani generis liberatione. M D X L I X.

SI QVIS ueſtrum eſt Decemuiri, qui miretur, quid ſit, quòd ego eam ætatem agens, quam nemo eſt, qui ne ſciat, ab hac dicēdi prouincia, more, & conſuetudine ciuitatis, uacationē habere, non exiſtimarim (quod cæteri faciunt æquales mei) parum dignitatis, multum uero periculi ſuſceptum hoc munus afferre, is fortaſſe cùm omnem conſilij mei rationem apertam, explicatāq; perſpiciet, remq; ipſam non tàm opinione, quàm ueritate perpendet, meum hoc factum non improbabit. Nam quod ad periculum ſpectat, illud quidem

me minus propterea commouet, quòd ſic exiſtimo, ſi
ij laudem mereri putantur, qui in ea re ſibi non recu=
ſandum periculum duxerint, ex qua uel parē, uel pau
lò minorem periculo gloriam ſibi expectandam pro=
poſuerint, non debere me in ea re, ubi ipſa periculi a=
ditio per ſe quā honeſtiſsima ſit, deinde gloria poſsit
certiſsima à bonis omnibus comparari, leui cæterorū
opinione commoueri. De *exiſtimatione autem, quam*
imprimis me tueri uelle profiteor, & bono cuiq; ſum
mæ curæ eſſe debere confirmo, non negarim ueſtram
hanc animo præcipienti mihi admirationem, ſuſpicio
nis fuiſſe non nihil iniectū. Sed ea de re cùm diu, mul
tùmq; deliberaſſem, certo demum cōſilio in hanc ſen
tentiam diſceſſi nihil eſſe de exiſtimatione timendum.
Eorum conſiliorum omnium utrum mihi ratio repe
tenda in dicendo eſſet, rurſus cùm cogitarem, ſic ſta=
tui non modò in ijs explicandis, ſed ita ut uos pro=
baretis, confirmandis meas partes eſſe debere; Cùm
quòd noua, ac præter multitudinis opinionem qua=
cunq; de re ſuſcepta conſilia, nouas, et probabiles cau
ſas deſiderant, tum quòd quæ me ad dicendum ratio=
nes impulerunt, cum his ipſis rebus, de quibus acturi
ſumus, adeò erant coniunctæ, ut, etiam ſi aliud omnino
agerem, eſſent mihi tamen in ipſo orationis curſu ſin=
gillatim exponendæ. Video *enim, atq; id nō ſine magna*
animi alacritate commemoro, & has omneis cogita=
tiones meas, cum præclaris ſententijs ueſtris; & bo=
norum omnium, atq; adeò uniuerſæ ciuitatis declara

*tas uoluntates,cum ſapientium,& doctorum hominũ
ſtudijs(quibus de rebus mihi hodie dicendum eſt) ita
nunc inter ſe repente conuenisſe , ut profiteri non du-
bitem , deorum immortalium inſtinctu hanc mentem
uobis omnibus eſſe datam ; nec ſine eorum approba-
tione,multa contigiſſe,quæ paulò ante ſunt conſecuta.
Quod cur mihi in mentem ueniat;quid ita ſim opina-
tus; ſed non tàm opinatus, quàm certiſsimis, ac firmiſ
ſimis argumentis fuerim ratiocinatus(quoniã ea res,
ſi paulo altius,nec longius tamen repetatur, miran-
dum in modum,tum adorationis noſtræ propoſitum,
quod totum ad literarum diuina illa ſtudia pertinet,
tum ad ueſtræ* Reip. *laud m facit,quæ ſine ijs , neque
magna,neq; conſtans eſſe poteſt) dum aggredior ad
declarandum,peto a uobis,ſi ipſa uos ueſtra facta de-
lectant , ſi plura,& maiora facere pro* Rep. *ueſtra
parati eſtis,ut dignum ueſtra humanitate ſilentium
præſtetis,grauioribus curis aliquãtiſper ſolutas mẽ-
tes(ſi modò hæc noſtra non omniũ grauiſsima ſunt)
ad hæc cognoſcenda adhibeatis.Primùm enim nõ pro
rei quidem magnitudine, ſed pro ingenij tenuitate , de
ſtudiorum profecta à uobis reparatione dicam;a cu-
ius orationis initio,quæ de me mihi dicẽda ſuperſunt,
ut quaſi inuita non abſtraham , ſic etiam paucis ab-
ſoluam.* Deinde *eò deſcendam, quò omnis noſtra ſpe-
ctat oratio,ut cum uobis gratias egero pro tantis er
ga ſtudioſos beneficijs ueſtris,uobis declarem, quæ nã
illa ſint,quæ ad hanc iacentium inceptam,non abſolu-*

tam, bonarum artium ſubleuationē, & inſtaurationē adeò ſunt neceſſaria, ut nulla penè ſint ea, quæ effeciſtis, niſi illis hæc quoq; pauca fuerint adiecta. In quo ego, neq; mihi ipſi, neq; ſtudiorū amori, neq; patriæ charitati deero in uobis ad ea cohortandis, in quibus ſummam, ueram, ac perfectam felicitatem ſemper eſſe repoſitam ſapientiſſimi omnium ætatum, & gentium homines, re, & uerbis iudicauerunt. Ego cùm ad id ætatis perueniſſem, in qua noſtrorum æterna illa animorum uis, qua cæteris præſtamus animantibus, ſeſe in lucem dare conſueuit, atq; quod pleriq;, omnes faciunt ingenui ea ætate adoleſcentes, ſed magis per omnem uitæ curſum fieri oporteret, ut literis dent operam, idem ipſe quoq; facerem, ſenſi me incredibili bonarum artium amore paulatim deuinciri. Quod niſi ab ipſa natura, & quadam ingenij affectione, aut quodam etiam, ſiue fato, ſiue fortuna mihi contigiſſet, nulla de re minus tunc temporis, quàm de literarum ſtudijs cogitaſſem. Quod quidem nullo rationis certo cōſilio eſſe factum, quis non facile uel diſſimulanti crediderit? Quid enim conſultò honeſtum? Quid utile? Quid præclarum deligere poſſit is, qui in pupillari ætate conſtitutus, propinquorum & paternorum amicorum ſit cohortationibus ad optima hæc ſtudia deſtitutus? Hic meopte ingenio literarum amor cū unà mecum aliquot annos coaluiſſet, ſic cœpi conſiderare (quod ipſum ferè ab initijs ijſdem optimarum diſciplinarum didiceram) ſi quid mihi uel multis labo-

ribus,uel longi temporis decurſu,in ingenuarum artium ſtudio doctrinæ comparaſſem,fore primùm,ut ille ipſe labor in omni uita iucundiſsimus eſſet, tum, ut ea ſtudia,quæ probi uiri,& liberalis hominis ueram dignitatem præſtant, ampliſsimum ad omnia fructum afferrent,poſtremò (quod tunc primas opinabar,nūc poſtremas intelligo partes obtinere.) ut uulgaris huius ab omnibus expetitæ utilitatis non parum inde mihi ſuppeditaretur, nuſquàm uerò fieri poſſe,ut eius ſtudij pœniteret. His naturæ igniculis, & quodam(ut uerum fatear)iuuenili ardore impulſus, nam eius ætatis conſilia non ſatis deliberata eſſe, non eſt quòd pluribus confirmare contendam, ne ab ſtudijs liberalium ſcientiarum re ulla diuellerer, mihi proponebam;magna quædam ex illis,& excellentia mihi bona promittebam; qui hæc eadem non ſentirent,eos animo uix ingenuo eſſe poſſe ſtatuebam. Hæ animi mei cogitationes, atq; hæc procedendi conſilia quàmquàm à me maxime probabantur,tamen, cum animaduerterem omnèis ferè æquales meos optimis ſtudijs reprobatis in alia omnia diſcedere, uerebar interdum,ne parū rationibus uitæ meæ hoc inſtituto conſuluiſſe uideri poſſem. Hæc animi perturbatio eo tempore me magnopere ſuſpenſum habebat,cùm repente illud à uobis profectum eſt,quod meam ægritudinem ſanauit, ſuſpicione liberauit,animum reddidit, ſententiam confirmauit, ſtimulos addidit ad currendum. Nam cum cæteri propè omnes (nonnullos autē

exceptos uelim)diuerſa iccirco à me ſentētia eſſent in literis iudicandis,quòd uobis circiter illa tempora,ac multos etiam annos ſupra, literarum bona ſtudia,ac illis addicti homines,contemptui eſſe non iniuria credebantur;quamobrem in ſitu , & ſqualore derelictæ, ac penè extinctæ bonæ artes (ueſtra cauſa)iacere uidebantur;ciues ipſi eruditi aliquot contemnebantur potius,quàm laudabantur;factum eſt repente, ut uos, de literis inſtaurandis conſilia iniretis,ea de re frequentes deliberaretis, priſtinam ſententiam mutaretis;atq; ita mutatam declararetis , ut ad eas uindicandas,atq; illuſtrandas optime animati exurgeretis,omnia ueſtra ſtudia,operam, induſtriam,cogitationem, mentem deniq; omnem, & auctoritatem in his excitandis locaretis,ac figeretis. Ac primo quoq; tēpore incredibili illa ueſtra,qua præcellentes in Rep. eſtis, prudentia, ſeueriori quodam delectu,præſtantiſſimū eloquentiæ laude non uulgari uirum accerſiſtis, per quem ab iniuria temporum , atq; hominum receptæ bonæ literæ multum iam ſplendoris amiſſi recuperarunt. Gratulor uobis,mihi gaudeo,quòd Aonium Palearium cādidiſſimum literatorum omnium ex .S.C. Roma euocaſtis,quòd eum publicè docendi præcipuo munere ornaſtis,quòd eius multam literaturam præſenſiſtis. Nam quòd nonnullorum opiniones inualuerunt,& uoculæ,quibus,quòd ſibi ſummo tunc eſſe iudicio uideantur,cum de literis illiterati ipſi elatis ſupercilijs pronunciant,ille non ſatisfacit,quòd maiorē

quandam eruditionem, & copiam ſomnient huius(ut
aiunt iſti)ſiccitatem,doctrinamq; non reconditiorem
contemnunt, non eſt id flocci faciendum. Quid enim
ego tribuam,uel bonus aliquis,iſtorum hominum,uel
opinioni,uel uoculis? Si meritò qui progreſſus ali-
quos nullo in literarum genere fecerint, tum bonarũ
ipſimet ſe imperitiſſimos eſſe fateantur,eorum opinio
nes nos tanquàm inanes meritò reſpuere debemus?
Qui uerò his de rebus ſermonem ſerunt, quarum ni-
hil ſit,cur ipſi rationẽ ullam afferre poſſint,niſi quòd
ita uideatur, illorum uoculas à ſapientibus uiris opti
me præceptum ſit,ne ſuſcipiamus confutandas? Hæc
ideo dixi,ꝙ quorumdam temeritate ſæpe perturbor,
qui quæ doctiſſimi homines longa deliberatione pro-
barũt,ipſi inconſiderata ſtatim aſſertione uituperãt.
Sed de hoc ſatis tãq̃ à prætereũte ſit dictũ; Ad me igi
tur redeo;Qui cùm ad illud ardẽs literarum ſtudiũ,
& ad uſitatas exercitationes meas,hoc quoq; genus,
ut ego arbitror,laudatiſſimum adiungendum putarẽ,
id mihi omnino faciendum eſſe conſtitui, ut ſi quis un
quàm in ciuitate locus concederetur,ingenij periculũ
facere non recuſarem. Hoc erat mihi iam ante pro-
poſitum; cùm noua hæc ueſtra decreta effulſerunt.
Quo tempore,noſtro inſtituto patebat adultioribus
unus ille campus ad dicendum,quem ſibi ita deinde aſ
ſumpſit Aonius, ut cùm per ſe conſpicuus eſſet, eius
tamen eloquentia non parum illi adiunxerit grauita- 62
tis,& dignitatis. Hoc erepto, non honeſtum modò lo

cum; ſed ne reliquum quidem fuiſſe ullum uidetis, hoc uno excepto antiquißimo curiæ ſuggeſto; Quò erat mihi, ſi quando apud uos, uel exercitationis cauſa, uel officij uerba facere uoluiſſem, animus applicandus. Atq; cum quidem; ſi uocem poſſet emittere, nonne uos obſecraturum putatis per eam maieſtatem; qua Reip. maxime intereſt hãc curiam decorari, hũc conſeſſum eſſe conſpicuum, tantum magiſtratum ornari, ne pateremini locum illum, ubi quotidie grauiſſimæ quæq; de Rep. ſententiæ dicerentur, luſibus puerorum patere, his ornamentis ſpoliatum, quibus multis, ac magnis roſtra illa redundant? oportune autẽ factum eſſe arbitrer, ut in hanc horum locorum collationem inciderim, quò ea de re deliberatè animi mei ſententiam proferam, de qua fortuita (ut uidetis) mentio noſtrum ſermonem interpellauit. Videtur enim mihi parum omnino dignitatis habere; ut in quo loco omnia, ſumma cum prudentia dici, & effici deceat, quæ ſola è ſenectute eſſe cenſetur, in eo pueri, quorum ætati non modò leuitas, inconſtantia, mobilitas aßignatur; ſed neſciunt aliquam prorſus earum ipſarum rationem, quæ hæſitando loquuntur, dicendo debeant magiſtratibus quæ ſunt agenda præſcribere. Vbi uerò, qui eloquentia tantum poßint, ut optima quæq; perſuadeant, expetantur, minime expedire, ut ibi qui ne fari quidem didicerint, aut ſatis articulatè uocem edere ualeant, ij quaſi ſummæ expectationis oratores ad animos ad honeſta commouendos adhibeantur.

Quid

Quid enim (per Deos Immortales) calamitatis paſſum eſt hoc ſuggeſtum? ut ijs, quæ in literarijs ludis ad ludicras exercitationes poni conſueuerunt abiecti us multò enſerit, quò etiam non aſpirant apud ma giſtros, niſi ſi ſint his, qui huc impudenter ueniunt, admodum natu maiores. Quæ hæc iſtorum impuden tia? Quæ uerò ueſtra in audiendo patientia? Non ne hic locus eſt idem? non ne eadem curia? quæ tan ta plurimorum ſenatorum eloquentia, tanta ſenten- tiarum grauitate, tanta ſapientium dictorum maie- ſtate ſingulis propè diebus exornatur, Senatu uoca to, magiſtratibus congregatis, concilijs indictis ſum- morum ciuium? Cur igitur hoc tempore in tanti ma giſtratus ingreſſu, in tali ciuium concurſu, in huiuſmo di bonorum conſeſſu, in hoc decedentium, & ſuccedē tium DecemVirorum congreſſu, puerilibus puerorũ ineptijs, magna (ut reor) ueſtrûm omnium moleſtia, obijcitur? Ego equidem, ſi mihi libere fari licet, lon- ge antiquius ducerem, ac publicæ grauitati magis cō ueniens, ſi non poſſet inſtitutum hoc corrigi, ut au- ctoritate ueſtra tolleretur. Sed quoniam hæc iam lō ga conſuetudo eò uſq; proceßit, ut non modò ſine cau ſa à nonnullis probetur, ſed præter dignitatem, & prudentiam iam adulta ætate adoleſcentis, huc in hac celebritate aſcendere uideatur, iam unde his digreſſa eſt, illuc iterum reuertetur oratio. Nam contrario ip- ſe conſilio ad hunc locum animum conuerti, quòd ad eam cupiditatem, qua inflammabar ad dicendum, cui ſa-

63

tisfacere hoc uno in loco poſſe mihi uidebar (quoquo modo dicturus eſſem) accedebat etiam, quòd maioribus natu adoleſcentibus uiam quandam, qua ingenui omnes, qui ad literarum ſtudia ſeſe addixiſſent, ad maiora quædam animarentur, aperiturus ille uideri poterat, qui primus ab infantiſſimis pueris uindicatam, & ad æquales ſuos traductam prouinciam, cœterorum adoleſcentium, qui id apprimè ornato dicendi genere facere poſſent, orationibus traderet illuſtrandũ. Sunt enim DecemViri, in ueſtra iam diu ciuitate pauci aliquot adoleſcentes liberi ueſtri, & plures multò poſt mutatas ueſtras ſententias exurgunt, quorum de ingenio, ſtudio, & induſtria cùm ut uerè, ita libenter mirifica quædam prædicem, non poſſum de ſingulari doctrina, et ſapientia in futurum tam pauca polliceri, quin uobis ſumma fiducia confirmem, imò pro re compertiſsima affirmem, fore, ut ex ijs omnibus, qui hac tempeſtate literis dant operam, tantus olim ſplendor alicuius exiſtat, talia ornamenta ciuitati accedant, qualia forte à nullo maiorum noſtrorum uerè profecta ſunt, ſi modò, ut cœpiſtis, ſed longe cumulatius etiam, quàm feciſtis, quæ ad diſciplinas, & mores pertinent, fuerint à uobis iuuentuti ſumminiſtrata. Ad quos quoniam ſpectat aures ueſtras ornatè, & copioſè dicendo omni ſermonis politici genere tenere, uolui ego is eſſe qui hunc illis non ſatis honeſtũ receptum eriperẽ, ut deinde, ſi hunc uobis (ut ego arbitror) gratum; ſed certe pulchrum, ac pium laborẽ

recuſabũt, omnes iure ipſos multis nominibus poßint aucuſare, neq; eos hæc reliqua hinc abſtinendi cauſa, quòd puerile ſit munus, amplius excuſare. Cæteræ enim multæ, quæ uiſæ ſunt olim iuſtæ forſan excuſationes ad prouinciam hanc detrectandam, eas in confeſſo eſſe debet, iam nullas antea dici poſſe cæpiſſe. Quæ quoniam omnes in eo ſic poſitæ ſunt, in quo noſtra uerſatur oratio, ut dum de contemptu, & de honore ſtudiorum, ſtudioſorumq; agitur, eæ cauſæ tractentur, iam de utraq; re diſſeramus neceſſe eſt, dum de hac bonarum artium reſtitutione dicemus. Primũ igitur ſi longe aliena eſt huius temporis, ac ueſtri iudicij ratio ab ea, quæ ſuperioribus annis fuiſſe uidebatur, ſequitur, ut longe etiam diuerſa hic dicentium expectatio eſſe debeat, alius omnino audientium ſenſus, alius in elaboratis orationibus guſtus, alia à doctrinis uoluptas. Quare quæ ad hanc temporum, inſtitutorum, ſententiarum mutationem pertinent, aggrediamur, illud præfati, ut dij faxint, ne hæc felici minus euentu maxima incrementa ſuſcipiant (ut nos uolumus, & optamus) quàm ſapienti conſilio fuerint inſtituta. Veſtras enim laudes, gloriæ ueſtræ quadã inuidia nos omnes ſtudijs addicti tegere uideremur, ingrati eſſe exiſtimaremur, gaudium noſtrum dißimularemus, ſi hæc taciti præteriremus, qui per uos tot adiumenta ad eas artes, quas appetimus, conſecuti, plura, ac maiora per eoſdem pro rei honeſtate conſecuturos eſſe confidimus. Si enim non deſunt, qui ſtu-

64

ſtudio uobis placendi, benignitate ueſtra allecti, magnis propoſitis præmiis, multas actiones ueſtras, præclaras illas quidem (ſed ſunt alia in uobis maiora, et laudabiliora multò) his uerò collatas, eaſdem propemodum obſcuras, in cælum ſua eloquentia tollunt, quid in ea re tandem, qua nullum extat opus ueſtrum præſtantius, nobis faciendum fuit? Qui cùm unam eam laudem petamus; quæ uera, ſolida, ac ſtabilis ſit; eamq; propter ipſam ſolam ſectemur, eius pulchritudine accēſi ſimus, nihil didicimus, niſi quod tale admodum ſit, ut eiuſmodi gloriam mereatur debitis ideirco laudibus proſequi, quòd per ſe ipſum id laudabile ſit, quod eſt cum uirtute coniunctum. Tantò autem libentius de his ſtudijs dico, quòd ipſe ſumma uoluptate in recolendis afficior, uos hac ueſtra mente lætos eſſe conſpicio, æquales meos hac ratione ſibi à uobis laudem cōparaturos proſpicio, fructus horum ſtudiorum infinitos uniuerſis indicare ſaltē, Reip. multum arbitror intereſſe. Conſtat igitur tempus ante hac fuiſſe, cùm bona ciuium ueſtrorum pars ita contemnere omnes illas diſciplinas putabatur, quæ in earum rerum cognitione, & explicatione uerſantur, quibus aut rectè agendi, aut uerè intelligendi doctrina continetur, ut mirum eſſet, quàm parum honeſtè de illis loquerētur, quàm nulla prorſus cōmendatione dignos cenſerent, quicunq;, uel in ijs omnibus plurimùm excelluiſſent, niſi forte ſi qui multas exinde opes collegiſſent. Hac opinione ita uulgò pleriq; commouebantur (ut cæte-

r.is in rebus ferè fieri uidemus inferioris cenſus homi
nes ut imitari,uel æmulari opulentiores quoſq; nimis
anxiè contendant)ita, inquam , commouebantur , ut
quàm plurima non obtuſa ingenia à literis deterrerē
tur;à nullis,quibus os eſſet,hæc munera non contemp
tui haberentur,paucißimi ciuium in diſciplinis hone-
ſtis liberos inſtituendos curarent;ſi qui autem literas
amarent,id ueluti crimen fateri puderet. Neq; aliter
quàm præcipiti curſu rapidus amnis obiecta omnia
rapit,hic tot principum ciuitatis ſenſus reliqui uulgi
ſuffragia trahebat. Atq; hæc uniuerſa opinio , quòd
tam male de diſciplinis ueſtrûm multi ſentirent (ut
uerißima omnino non fuerit) certe à plurimorum co
gitationibus,& ſermone non abhorrebat. Quoties ip
ſe audiui? Quoties per ora ſedentium ad forum me-
dium circumlatum eſt? ut ſermone intercedente de ali
quo docto,probato, ac multis diſciplinis exculto ho-
mine,ſiue ciuis is eſſet, ſiue peregrinus;fuerit interpel
latione beatioris alicuius quæſitū;ut ſe haberet bonus
ille uir cum pecunia, dum cæteri de eius uirtutibus cō
fabularentur. Quin & eundem,audita de illo rei fa-
miliaris,uel tenuitate,uel mediocritate,multò minorẽ
ſe de illius uirtutibus credere dixiſſe. Sed id quidem
inficiari nō poſſumus(ut in magno odio non fuerint,
quod certe uel dictu nefariū eſt)quod autē proximū
fuit,bonas artes nullis fuiſſe opibus ſubleuatas, nullo
ſtudio ſuſceptas,nulla gratia adiutas,non meritis,cha 65
ritate, admiratione,laude,celebratas. Quod quàm mi

hi parum ē Rep. fuiſſe uideatur, quoniam paulò po st explicabo, ad meliorem ſententiam ueſtram transgre diar. Eſt igitur nunc ſuperiori ex aduerſò reſpondēs totius ciuitatis certa ſententia, bonos omnes omnia doctrinarum genera obſeruare, atq; ita amare, & cō lere, ut quicunq; in aliqua ingenuarum artium ſcientia excellant, omnibus non modò laudibus, & honoribus dignos exiſtimēt, ſed opibus ſtudeant, et dignitatibus exornare. Hic uulgatus bonorū ſēſus, ut olim uniuerſam multitudinē à literis abſtrahebat, ita nunc literis mirificè adiungit, eorumq; ſtudiorum amorem in omnes ciuium animos longe, lateq; diffundit. Quod ueſtrum de omnibus diſciplinis iudicium, ſi tale eſt; ſi tā bene eſtis in omneis liberales artes animati, ut uulgò iam creditur, non dubito, quin ſtudioſorum optata omnia ſint locum apud uos habitura, omnia in publicis, et priuatis rebus optimè, feliciter, optabiliter ſint euentura. Neque uero illud multis ambigendum eſt; utrum ſit manifeſtis iam rebus confirmatum, an indigeat adhuc certiori aliqua ratione comprobari. Nā quod paulò ante de prioribus illis Senatuſconſultis diximus, per quæ humanioribus literis imprimis conſulere cæpiſtis, in eo iam firmiſsimis argumentis hanc ſententiam roborauimus. Quibus quæ plura addidiſtis, et maiora, tum longe expreſsiora, ſi ſubijciemus, ſatis (ut arbitror) erit probatum, nō modò uos bonas artes ſubleuandas ſtatuiſſe; ſed in eo etiam meritas ab alijs ciuitatibus laudes ita fuiſſe æmulatos, ut ſpere-

mus eſſe ſuperaturos. Vidimus enim paulò ante uos, ci uitatis principes, ita liberalium ſcientiarum ſtudio in flammatos, ut, quod ſuperioribus annis ſtudioſi uix taciti optaſſent, ne dum uoce precari auſi fuiſſent, ma gna quædam, & incredibilia decreta, nec noſtra, aut auorũ memoria, celebrata; magna, incredibili, celeber rima laude digna, pro ſtudioſorum utilitate, & noua quadam de ueſtra exiſtimatione animi ſollicitudine, ad priora illa addideritis, quibus ad latinarum, græca-rumq; literarum diſciplinam, tanta diligentia nuper proſpexeratis. Nam & initijs pulcherrimæ iuriſci-uilis ſcientiæ interpretandis, atq; ei mirifico artificio explicando, quod in ſubtiliter inueniendi, acutè diſſe-rendi, rectè iudicandi ratione certa poſitum eſt, qui-bus duabus diſciplinis bona ſatis pars expetendarum artium fundata eſt, unum, atq; alterum his artibus in ſignes doctores, ciues ueſtros, eruditiſſimos uiros præfeciſtis, ex ærario ſtipendia publicè conſtituiſtis, ad creandos. VI Viros ludi præfectos delectum exa-ctiorem adhibuiſtis; plurimis. S.C. non paucis in re-bus inceptam inſtaurationem adiuuaſtis, totam fe-rè ſtudiorum rationem in meliorem formam com-mutaſtis. Quin etiam ueſtrûm plurimi, quos mo-dò dicebam ab huiuſmodi ſtudijs animo longe abalie-nato fuiſſe, ſiue propter maximas in Rep. occupatio nes, & priuata ampliſſima negocia, ſiue ob illum ma gis literarum, quem prædixi (quaſi abiecti cuiuſdam ſtudii) contemptum, nunc in hac ipſa curia, in foro, in

66

publicis cõciliis, in domeſticis ſermonibus, literas paſſim laudare, literatos plurimum commendare aſſueuerunt. Atq; eum fructum, qui magnus (quamquàm maiora alia) ex huiuſmodi facultatum ſtudiis proficiſcitur, ornatam ſcilicet multarum rerum cognitione, et aptam in omni ſermonis genere orationem; non modò non deſpicere, ſed ualde admodum ſuſpicere, multis, ac ſatis manifeſtis argumentis declarauerunt. Hac igitur ueſtra animi propenſione ad præclaras omnes uirtutes declarata; hac diligentia, qua pro tali ac tanta ciuitatis, & iuuentis ueſtræ utilitate uſi eſtis, id perfeciſtis, ut aditus uniuerſæ ciuitati expetendus, diũque à multis optatus ad optimas diſciplinas paululũ ſit reſeratus; uobis uerò, liberis, poſterisq; ueſtris magnum ſapientiæ apparatum conquiſiueritis. Quis nunc uereatur in tanto erga bonas diſciplinas bonorum ſtudio in tanta animorum mutatione; humaniorum literarum, eloquentiæ, philoſophiæ, uniuerſæ rerum ſcientiæ ſtudioſum ſe profiteri? Quis ingenii ſui ſpecimen? Quis laborum, & uigiliarum honeſtiſſimos fructus? Quis ſuos in doctrina progreſſus? oſtentare refugiat? Quis honeſta, ac uera laborum præmia deſperet? Quis uerò egregia ueſtra facta, pulcherrima. S.C. poteſt obliuioni mandare? Quis non ſumma gratia proſequi? non pleno ore laudare? Hoc factum ſapiens ad eam opinionẽ magna fuit acceſſio; ſed longe maior erit in dies, quàm non Itali tantum homines; ſed exteræ etiam gentes, multos iam annos,

de ueſtra

de ueſtra ſapientia, ac felicitate conceperunt. Deinde *pulchrum, ac magnum huius noſtræ* Reip.*optimè inſtitutæ fundamentum ita confirmabit, ut faciat uel æternitatis, uel diuturnitatis.* Hoc *meum præiudiciũ, imò bonorum omnium ſententiam, non leuis opinio quædam peperit, non una, aut altera apparens ratio firmat, non paucorum auctoritas retinet; ſed rerum certa cognitio tulit, firmißimæ, ac multæ rationes roborant, ſapientium plurimorum conſenſu, atq; uniuerſorum ferè ſubſcriptione, eadem comprobantur; ſenſu ipſo, & animaduerſione percipiuntur.* Etenim *cùm excitata nuper* Italia; *ſed quid ego* Italiam? Europa *uerò omnis, ab illo tot iam ſeculorum ſomno, partim quodam deorum immortalium inſtinctu, partim uoce doctißimorum hominum, ingenti quodam bonarum artium ardore flagrarit, atq; ita incenſa fuerit, ut doctrinas uniuerſas tanto ſtudio complectatur, quantum nulla ante nos ætate erga literas extitiſſe conſtat, meritò perfectum eſt, ut ſcientiæ illæ omnes, quibus aut inueſtigantur, aut deſcribuntur, aut explicantur, aut oratione illuſtrantur res cognitu dignæ, ex tenebris ad lucem, ex imo ad ſummum, & quaſi à morte ad uitam, noſtra hac ætate prodierint.* Quæ *quidem ubi, tanquam è profundo terræ hiatu prodeuntes lucem hanc conſpexerunt, ſuo lumine alterum ſolem afferre uiſæ ſunt, tantus earum ſplendor apparuit, tanta fuit ipſarum formæ eximia pulchritudo.* Vbi *uerò, ea luce ignorantiæ tenebris diſsipatis,*

quæ commoda, quas utilitates, quæ ornamēta, earum diſciplinarum ſingulæ quæque hominibus afferant quàm plurimi didicerunt; tunc & publicè ab uniuerſis, & priuatim à ſingulis ita certatim expeti, & coli cæperunt, ut maiores noſtri uix uitam (ut dicebant olim) uitalem uixiſſe putentur, quibus huiuſmodi ſtudia uix nota fuerunt. Nam quod ad publicas uniuerſorum res pertinet, nunc omnes ciuitates literas diligunt, atq; amplectuntur; magni Reges, ac principes uiri, aut ſtudio perſequuntur, aut gratia proſequuntur; populi ubiq;, ac nationes, nullius iam humanitatis expertes, eaſdem, ut amabiles diligūt, ut laudabiles, plurimum cōmendāt, ut admirabiles, obſtupeſcunt. Quin barbaræ quoq; gentes, quas nomen ipſum ab humanioribus diſciplinis ſignificat abhorrere, non literarum modò ſuauitatem guſtarunt, uerùm maxime ad uſum adhibuerunt, ſeſe in illis totos penè abdiderunt. Quod uerò ſingulos quoſq; tangit, ita penè innumeri ſunt in pleriſq; ciuitatibus, qui eas ſequuntur, qui liberis ſuis, qui propinquis, qui amicis, qui domeſticis, qui clientibus tradendas curēt, ut mirum ſit, in hominum pectoribus tot prauis cupiditatibus obligatis, tantum repēte igniculorum cæleſtium fulſiſſe. Si autem fructus, quos percipi hinc uidemus, enumerauerimus; ſiue publicæ, ſiue priuatæ rei ratio ducenda ſit; tam uberes, tam copioſos, tam late patentes inueniemus, quàm qui maxime, Et quoniam de his, quæ ad Reſpublicas manant ſuo loco paulò poſt dicetur; de ſingulis

illud eſt admiratione, & commendatione dignum, excellentibus in omni præclaro ſcientiarum genere ingenijs, tanta eſſe propoſita præmia, tam latos aditus reſeratos, ſiue ad laudem, ad gratiam, ad dignitatem; ſiue ad copias, ad potentiam, ad opes; ut non modò doctiſsimis, eloquentiſsimis, ſapientiſsimis uiris id contingere uideamus, ut ampliſsima omnia per literas conſequantur; ſed multi etiam ſæpe per opinionem aliquam doctrinæ de eis uulgò cõceptam ſeſe uenditent, & oſtenterit, ſummoq; in pretio habeantur; qui ne primoribus quidem labris literas guſtarunt; qui multis contrà uitijs eas ipſas fœdarunt; qui ſuas literas ipſa ſcientia parum; impudentia multùm adiuuerunt. Circumſpicite uos Italiæ urbes: percurrite animo Gallias, Hiſpanias, Britanniam, Germaniam: penetremus ſi libet extremas etiam nobis terras; hinc Luſitaniam; inde Poloniam, Pannoniam, atq; Illiricum, cæterasq; prouincias; immunerabilibus uiris, quos alienum, & longum eſſet recenſere, qui propter excellentiam quandam doctrinæ, ut cæteris hominibus antecellunt, ita fama illuſtriores ſunt, tam magno ſtudioſorum numero tanta animorum ad literas intentione, plena omnia reperietis; ut ad literatos ſumma penè omnia deferantur. Hi magnis Regum conſilijs adhibentur; ad hos de grauiſsimis quibuſq; negocijs, publicis, priuatiſque refertur; hi rem familiarem, ſi tenuis eſt, amplificant; ſi ampla; maximis fortunis adaugẽt; his omnis ætatis, ſexus, dignitatis multitudo, omnes ſummis, & egre-

giјs uiris debitos honores cumulatè tribuit. Quia tamen in re, qui exhibentur literatis magni quidem honores, ab his quos iј merentur, longe abeſſe intelligimus. Nullis enim humanis gradibus poteſt doctrinæ præſtantia contenta eſſe; ſed ſicut animus, uerè ſapiēs nunquàm dum eſt in uita, à diſcendo, à contemplando ceſſat; eius ſcientia, nulla re tandem, niſi ipſo Deo definitur; ita nulli niſi diuini honores æquare poſſunt merita diuini animi, atq; cœleſtis. Atq; hæc quidem tanta, tam uehementia, tam admirabilia ſtudia, cùm uel noſtra, uel ad ſummum, ſeniorum memoria orta ſint, certè illud quidem conſtat, uel pauciſſimis hinc annis maximum hoc incrementum ſuſcepiſſe. In quo ego, ſi quid in me auctoritatis eſſet, id mihi aſſumerem; ut antiquos illos, tum græcos, tum latinos, qui duobus illis ſeculis, tam felici memoria celebratis, extiterunt, diſciplinarum copia, et præſtantia æquatos, literatorum numero etiam ſuperatos eſſe contenderem. Peterem nunc à uobis (DecemViri) pro ueſtra humanitate, ut me paulò ab ipſo curſu digreſſum, pateremini ſingillatim aliqua de omnibus his diſciplinis percurrere; ſi ſatis conſtitutum haberem, an id mihi ſuſcipiendum eſſet. Nam quòd mea eſt in his diſciplinis recolendis magna uoluptas, quòd noſtra hæc oratio propriam cuiusq; diſciplinæ tractationem non reiјcit, quòd aures ueſtræ doctrinarum omnium commemoratione, & laude maximè delectantur, quòd res ipſa per ſe reliquis omnibus rebus honeſtior, atque illuſtrior uix po

teſt niſi ſumma cum delectatione audiri; fateor me in huiuſmodi ſcientiarum memoria libẽter uerſaturum fuiſſe: ſed contrà ſpatium hoc temporis mihi ad dicẽdum aſsignatum, ac ipſa breuitatis ſemper habẽda ratio, tum infantia, & imbecillitas mea me monuerunt, ut cuius campi tanta eſſet immenſitas, ut nullis uerbis concludi, nulla cogitatione comprehendi poſſet, per hunc ego infirmo (ut ſic dicam) atq; infracto uehiculo ne temere decurrere auderem. Non faciam tamen, quin antequàm reliqua perſequor, tantiſper ſaltem deflectam ab itinere cõſtituto, dum uobis indicẽ, & digito quaſi commoſtrem campum illum lætiſsimum, atq; ampliſsimum artium, & diſciplinarum omnium, in quo qui uitã degere poteſt, is eſt beatiſsimus appellandus. Ecce enim ſtudium illud ſapientiæ, quã modò philoſophiam, modò ſapientiam, modò doctrinarum orbem, & circulum antiqui nominarunt; nos uerò philoſophiam, græco ipſo nomine iam linguis omnibus communi appellamus, ita excultum eſt noſtro tempore; ut quæ ad rerum naturam, quæ ad hominũ mores, quæ ad diuinas, & humanas inter ſe colligationes, & abſtractiones, quæ ad rerum cauſas, & cõſequentia pertinent, hactenus perplexa, inuoluta, obſcura, undiq; labefactata, nunc ex omni parte purgentur; dilucide explicentur, ſubtilius tractentur, planius exponantur, omnibus ſententiarũm, & uerborum luminibus expoliantur. Eius uerò altera illa pars, quæ cognitioni propior exiſtimatur, Dialectica, Poetica,

omniumq; præſtantiſsima, & domina eloquentia; Tũ quæ etiam eiuſdem ſtudij membra ſunt paulò ſecretio ra, Theologia, Coſmographia, Aſtrologia; Turr. de-ſcriptio, & menſura terræ, deinde Muſica, & Arith metica; Atq; imprimis omnium colendæ, ac nobis uni uerſarum aliarum artium, & doctrinarum princi-pes, & magiſtræ, Sacroſanctæ literæ; non modò non deſertæ ulla exparte iacuerunt, ſed magno cultu, & aſsiduo ſtudio renouatæ, expolitæ, adauctæ conſpiciũ tur. Vna autem omnium pulcherrima iuriſciuilis ſci-entia, ſine qua humani generis ſocietas contineri non poteſt, & ipſa minime ſeparatum ab illo doctrinarũ orbe membrum, quanto eſt opere, uel à plurimis, qui celeberrimi ſunt, iuriſconſultis ampliata, et aucta hoc tempore, uel ab uno excellentiſsimo omnium, qui fue-runt, primas nunc in ea facultate tenente Alciato il-luſtrata? Iam uerò humanitatis ipſa dulcia, & præ-clara ſtudia, eiuſdem circuli non contemnenda pars, quantum nitoris, quantum elegantiæ, quantum ſplen doris noſtra ætate ſunt conſecutæ? cùm eò uſq; pro-ceſſerint, ut mirabile ſit, in latinis literis, uel ipſius Ci-ceronis, ac Virgilij, copiam, doctrinam, & eloquenti-am; in græcis, Ariſtotelicam, Platonicam, Demoſteni-cam, à permultis tanta felicitate exprimi, ut neſcias il lis, an his plus tribuendum ſit, tanta noſtræ ætati laus in omni dicendi, & ſcribendi genere debetur. Quid cæ teræ, non tantæ quidem dignitatis; ſed maximæ ta-men, ac laudatiſsimæ artes? medicina, pictura, milita-

ris diſciplina, architectura; tum fingendi, ac cœlandi
artificium, plantarum cognitio, agricultura; tum illæ,
fabrilis, ac naualis, ipſa deniq; mercatura, quæ omnes
apud antiquos illos Heroas plurimi fiebant, eidemq;
ſunt circulo annexæ, non ne omnes eò euectæ ſunt, ut
ipſam antiquitatem æquarint, uel etiam ſuperare con
tendant? Quid uerò aliæ fallaciores illæ quidem,
propter earum imperfectam in nobis ſcientiam, ſed
acutæ, & ſubtiles, nec inutiles ad omnia obſeruatio-
nes, Phyſiognomia, Chiromantia, Geomantia, cæteræ
que uariæ, ac multiplices diuinationes; atq; aliæ mul-
tæ etiam ad eundem orbem pertinentes diſciplinæ; nõ
ne eſt earum aucta ſcientia, uſus demonſtratus, com-
moditas intellecta, noſtra hac ætate quàmplurimum?
Quare, ne ultra uagemur in hoc diuerticulo, ſic eſt
concludendum, nullam eſſe paulò nobiliorem diſcipli-
nam, quæ per omnes Europæ urbes, & regiones non
ita ſe habeat, ut quantò uilior fuerit, & abiectior an
te hoc tempus; tantò hodie maiore in honore, & pre
tio retineatur. In tanta igitur temporum, animorũ,
ſtudiorumq; mutatione; in hac bonarum artium ela-
tione, & amplificatione, nun ciuitatem ueſtram in
ignorãtiæ tenebris iacere paſſuri uos eſſetis? nũ ſom
niũ Epimenidis dormituri? uos literarũ odiũ Reip. no
ſtræ profuturũ crederetis? Vos literarũ ſplẽdorẽ nõ
agnoſceretis, dũ barbari eodẽ etiã perfruerentur? Ve
ſtram cæteris in rebus acrem uirtutem, in hac om-
nium excellentiſsima lãgueſcere permitteretis? Quis

nam ſano iudicio laudaſſet; ut externis diuitijs compa-
parandis incumberetis; in eo ſtudio omnes nationes
uinceretis; animi bona adipiſci negligeretis; in re pul-
cherrima uinci turpe eſſe non putaretis? omnis huma
nitatis expertes uiueretis. Hæc fuit ſapientia ueſtra,
ut q̃ parum ē reperiſſet literas odio habere, intellige-
retis. Vt quanta ex his commoda ad uos redundare
poſſent, conſideraretis? Hæc eſt ueſtra illa laus, quã
uobis hac ueſtra mente in optimas literas compara-
ſtis, dum inhumanitatis, ac feritatis propemodum, in
famiam uitaſtis, quæ illos ferè comitatur; qui discipli
nas contumacia quadam repellunt, repulſas conantur
de ſuis ciuitatibus eijcere. Non poſſum ſine admira-
tione repetere memoria hæc, quæ acta ſunt omnia, dũ
cogito, qui fieri potuerit, ut ab animis tam à literis
quotidie magis (ut uulgò putabatur) ab alienatis, tam
in unam pecuniarum cumulandarum cogitationem
intentis, ad par ſtudium literis præſtandum, aut lon-
ge etiam maius, quàm cæteræ ullæ Reſp. multi bo-
norum deſcenderint. Non poſſum bonis illis (quorum
eſt omnino hic frequens conſpectus ueſter plurimorũ
præſentia ornatiſsimus) non gratulari, qui cùm ab ine
unte ætate literarum ſuauitatem. guſtaſſent dignita-
tem cognouiſſent, ampliſsimis fructibus oblectarẽtur;
magna nimis moleſtia afficiebantur, dum deſpectas li
teras uidebant, intermiſſa, uel potius, omiſſa bona
ſtudia quærebant, dum ineptias imperitorum mira-
bantur, qui bonas diſciplinas, ſine quibus nulla eſt ho

minum

minum uita, tam acriter inſectarentur. En, ut omniũ ordinum concordia, uniuerſi populi conſenſu, optima ſtudia repetũtur, inſtaurantur, amantur, colũtur, amplificantur. En, ut boni omnes defendenda ſuſceperũt: Vt liberi ueſtri iam flagrant omnium ingenuarum facultatum ſanctiſsimo ſtudio: ut pio amore inflammantur. En, ut ueſtra hæc conſilia quæ fuerint, uos optimè intelligitis, qui non modò (ut decet) conſtantiores quotidie in ueſtra ſententia apparetis, ſed apertiori fronte lætitiam ex ea conceptã ſingulis propè diebus præ uobis fertis; nulla ex parte patrociniũ ueſtrum, nulla (inquam) ex parte contemptius, imò multò accuratius diuinis hiſce ſtudijs præſtatis. Quod uerò aliud ueſtrum, uel noſtra, uel patrum memoria præſtãs conſilium laudabitur, cui non hoc longo interuallo præferatur? Hæc eſt autem huius conſilij altiſsima ratio (cui quotidie ita paſsim ab omnibus ſubſcribitur; ut ab ignorantiæ caſtris innumeri transfugiant) ut uideret Senatus (quoniam earum laudum, quibus ſingulis magnæ, ac multæ ciuitates ſatis glorioſæ ſunt, maxima pars huic ueſtræ, nõ admodum quidem magnæ, ſed propèmodum tamen perfectæ, uulgò conceditur) ne quod unum ad eas confirmandas, atq; ornandas, & ad gloriam ueſtram cumulandam, & conſolidandam deeſſe uidebatur, id à bonis omnibus in ueſtra Rep. deſideraretur. Sed inſurgent adhuc plurimi, incredibilia quædam, & nimis ueritatem excedentia me prædicare dicentes; qui bonarum artium diſci

linis tantum in publicis negocijs, in administratio-
nis laude, in uniuerſa Rep. tribuam, quātum illæ ipſæ
(ſi ſenſum haberēt) nec agnoſcerent, nec poſtularent.
Huic ego facilè obiectioni, cur ad has artes omnia
propè deferā, poſſum reſpōdere: me tamē officio bo-
ni uiri in eo adhuc ſatis nō facere, quòd multò mino-
ra de literis prædicē, quàm merita requirāt. Pollice-
antur ſic mihi modò ij, qui hæc obiectāt, ſeſe re cōper-
ta, ac ueritate perſpecta, bonarum, & ingenuarum li-
terarum tutelam ſuſcepturos, noſtræ ſententiæ patro-
nos futuros, ut illis quàm apertiſſimè oſtenſurus ſum,
quæ pro ſtudijs literarum dicuntur pro ipſa æterna
ueritate dici. Primùm igitur quæro ab illis, qui lite-
ris parum admodum tribuunt (nam qui nihil omnino,
cùm aut pena ſint digni, aut egeant ſenſu, non magis,
quàm ſi rationis expertia animantia eſſent, merentur
ab hominibus interrogari) Quæro (inquam) à ſupe-
rioribus illis. An Remp. prudenter adminiſtrare; in
corrupta iudicia exercere; ius æquabiliter dicere; ſe-
ditioſos homines, infames, nefarios, legum ſeueritate
terrere; magiſtratuum diligentia obſeruare; Senatus
auctoritate compeſcere; carceribus cohercere; exilijs,
uinculis, morte mulctare; bonos opibus, & dignitati-
bus augere; innumeras, nec illaudatas artes, maxima
induſtria, ingenti cùm utilitate exercere; diuitias re-
ctè comparandi rationes quàm plurimas callere; ſint
Reip. utilia; ſint auctoribus honorifica, uniuerſis ſa-
lutaria, apud omnes laudabilia? Tum quæ illa etiam

præſtant; fines ſine bello tutos habere; cum ſubditis ita liberaliter, ut cum ſocijs ſe gerere; libertatis uerò unà cum ipſa libertate amorem; apud omnes gentes iam ferè extinctum, dominatu ubiq; præpotentium, heu nimia populorum patientia, omnia iam latè obtinente, in libero pectore ſolos, omnibus admirantibus, conſeruare; liberè, ſecurè uitam in pace ducere; quæ omnia felices, & optimos omnium hominum uos declarare non iniuria uidentur; & de his quæro; utrũ putent hæc ipſa, & alia huiuſmodi multa, eius generis eſſe, ut ſine his hominũ uita nulla ſit, nulla generis humani ſocietas cõſeatur? An uerò hæc etiam cõtemnãt? his etiam parum deferre ſeſe fateantur? Quòd ſi dicant, ſe non ita mente abalienatos eſſe, ut tantos uirtutum fructus, talia bona, qualia ſunt ea, quæ enumerabamus, non plurimi faciant; iam cætera ſunt explicatu faciliora. Nam ſi hæc omnia rectè facta ſunt, ea autem à prudentia, ab iuſtitia, ab animi moderatione, à fortitudine oriuntur, ac tam late patent, ut omnes intelligunt; atq;, ut ſunt, ita digna habentur, quæ admiremur, quæ imitemur, quæ laudemus: quid tandem literarum ſtudijs debetur? quorum præſtantia tunc extabit, ſi in comparationem ducatur. Primùm enim actiones hæ omnes, quas diximus, ſi à prudentia, ſi à iuſtitia, à fortitudine, à temperantia, à uirtute ſunt: ipſa autem uirtus ab his ſtudijs gignitur; per hæc conſeruatur; his alitur, & augetur; ſine his eſſe non poteſt. Quis enim rectè agere poßit, qui quid rectum

ſit ignoret? Quis autem non ignoret, niſi qui didice-rit? Vnde autem, niſi è literis, uirtutum diſciplinas? Sed fac aliquid naturam per ſe præſtare: quis nega-bit magna à literis adiumenta ad optima omnia per-ficienda proficiſci? At uerò bonæ literæ non aliunde unquam, ſed à ſe ipſis tantùm ſua adiumenta accipiũt. Ita omnibus noſtris actionibus erunt literæ, & orna mentum, & adiumentum: noſtræ uerò actiones unde literas iuuent, habebunt nihil. Dixerit aliquis in ma-giſtratu: quippiam iniuſtum eſſe, quod iuſtum ſit, ſi-ue iuſtum, quod ſit iniuſtum; aliquid honeſtum, quod turpe, ſiue contrà: idq; ratione confirmare paratus ſit. Quid aget hic ille nullis bonarum artium colori-bus tinctus? num fatebitur? num negabit? quod ip-ſe uerum, an falſum ſit ignoret? Corruunt leues illæ opiniones eorum, qui plus tribuũt ſoli naturæ, quàm deceat; cùm contrà obijcitur eadem naturæ bonitas, literarum diſciplinis corroborata. Indoctos enim pa rum à cæteris rationis expertibus animalibus differ re, uel puerorum exemplo patet, qui nihilò ſunt ratio nis præſtantia nobiliores, quàm ferarum catuli, do-nec ui diſciplinæ ratio exculpitur ex animis ipſorũ, tãquàm ex lapide ignis abſtruſus. Sed poſitum ſit in-ueniri aliquem, qui tãta ſit naturæ excellentia; ut nul lis externis præceptis inſtitutus, per ſe quod rectum ſit uideat, hic primùm aut inuenietur nunq̃, aut ad mi rabile quid erit uniuerſorũ iudicio; deinde egebit hic tamẽ maiorẽ in modum his ipſis diſciplinis, quaſi ſua

rum uirtutum teſtimonio,et(quod arithmetici dicũt) contrapoſitorum certo experimento,& norma. Nã quemadmodum ſi quis ad ignotas regiones proficiſcatur,licet ille quidem forte fortuna à recta uia non aberret, ſi tamen ductorem aliquem locorum peritum quærit,à quo errandi periculo liberetur, cauté, & prudenter facere exiſtimatur;ne ſi quando uagum,ac perplexum iter nactus fuerit;aut dubitãdo tardetur, aut errabundus uagetur, aut aliqua uiæ ſimilitudine labatur, aut erroris metu perturbetur (quæ omnia euenire ſæpe ſolent illis, qui ignotas regiones uiarum peragrant)ſed peritiſsimi ducis præcurſione certior, alacriorq; procedat. Sic qui Remp.recte fortaſſe, ſiue naturæ ductu,& inſtinctu; ſiue potius deorum beneficio,adminiſtrant,neceſſe eſt ſcientiam omnem diuinarum,humanarumq; rerum, cauſarumq; quibus eæ continentur,conſecutionumq; parare, ut eius auſpicio ducantur, & tanquam ad perpendiculum, & ad lineam,ad eam accommodent ſuas agendi, & cogitandi rationes,& normas. Quarum ſcientiarum tantus eſt ſplendor,ut quaſi ad æſtiuum ſolem,in ipſis meridianis horis, facile ſit certiſsimis rationibus,ac ſenſu ipſo dijudicare,utrum rectæ ſint eæ actiones, quibus,ut honeſtis,exercemur;an(quod ſæpenumero euenire ſolet,quæ eſt noſtri intellectus infirmitas) falſa aliqua ſpecie decipiamur. Ex qua rerum certa cognitione nũquam ſatis intelligitur,quæ proficiſcatur utilitas,quæ commoditas, quæ animi tranquillitas, quæ

ſecuritas, niſi tunc demum, cùm aut peregrinus ille in Syluas incognitas; & inacceſſas; aut hic noſter gubernator in rerum difficultates, ac dura tempora, inciderint, qualia quotidie uniuerſæ Chriſtianæ Reip. impendêre, non ſine lachrimis uidemus, ac uos ſæpe nimis uidiſtis in noſtra Rep. Tunc enim cùm diuinandi ſunt rerum exitus; bellorum, pacis, tumultuum, Annonæ, uiciſſitudines, & mutationes; principum conſilia, & uoluntates; omnes exoptant phyſicas rationes; omnes mathematicas cauſas expetunt; hi antiquas hiſtorias; illi res noſtra memoria geſtas; iſti hominum naturas, & affectiones; permulti fata ipſa, & uaticinia requirunt. Quot uerò ſunt ij, qui tunc modò mores reſtituere quàm probatiſſimos, modò oratores habere eloquentiſſimos, modò affectuum ſedandorum doctrinam didiciſſe, uehementer cupiunt: quæ commoda priùs ignorabantur? At hæc omnia literæ perpetuò largiuntur, & ſeruant in his, qui uel guſtare primos earum fructus non contempſerunt. Quid uerò hoc literarum beneficio maius? Quid hac utilitate præſtantius? Quàm certa pro incertis poſſidere? Cognita pro his, quæ incognita ſunt? Stabilia pro lubricis, et mutabilibus? cauſas ſimul, & effectus rerum à nobis gerendarum poſſe non ignorare? Non erret peregrinus ille in itinere: non decipiantur, qui publica gerunt negocia: ſit magnum quidem hoc: At quantò maius, quantò melius, quãtò optatius id ita certum habere, ut & te non errare ſcias, & in errorem facile adduci

non poßis, nullo euentu à ſententia commouearis: non caſu, aut fortuna ducaris: ſed ratione, certitudine, regula, ſapientia tuis actionibus modereris? Eſt hæc certitudo præclarum ſcientiarum munus. at errare, labi, decipi, falli facillimè poſſe, ignorantiæ, imperitiæ, ſtultitiæ fructus certißimi. Præterea quàm præclarum (dij immortales) quàm magnificum, quàm conſentaneum, concordiæ, ocij, tranquillitatis beneficijs beatæ Reip. bonarum literarum ſingulari ornamento florere? Quàm apud omnes omnium gentium populos glorioſum? Quanta à poſteris gratia, & laude celebrandum? Videor ego uidere liberos, poſteroſq; ueſtros, qui, accepta hac bonarum artium à uobis diſciplina, illuſtres toto orbe futuri ſunt, ac maximis opibus potentißimi euaſuri, gratias uobis agentes, memoriam ueſtram colentes, res à uobis geſtas memoriæ ſempiternæ literis commendantes, pro uno hoc ueſtro nunquam ſatis laudato literarum patrocinio, tãto ſtudio ſuſcepto, omni honorum genere uos proſequẽtes. Eſt autem ſingulare hoc, admirabile, diuinum in omni literarum genere bonum, ut cùm plurima, atq; ea quidem maxima beneficia uniuerſo generi humano continenter afferant, nihil contra periculi, nihil mali, nihil dedecoris rependant. Quàm uerò earum rerum, quæ in bonis cenſeri ſolent reperietis, à qua tale quid unquam potuerit præſtari? Proponantur, honores, diuitiæ, opes, magiſtratus, bona ualetudo, forma, uires, imperia, florens ætas, ac id genus reliqua omnia: ex

his cunctis, & redundare poſſe, & nimium ſæpe redũdaſſe in proprium caput, & damna multa, & ignominias, & calamitates reperiemus. Ex bonis autẽ diſciplinis, nihil unquã, niſi honeſtũ, niſi utile, niſi honorificũ, niſi expetẽdũ cõtigiſſe. Quare optimo illi, et dicẽdi, et intelligẽdi magiſtro Platoni aſſentiamur, qui tũ deniq; beatas Reſpp. putauit, ſi docti, et ſapiẽtes homines his præeſſe cœpiſſent, aut qui his præeſſent, omnia ſua ſtudia in doctrina, & ſapientia poſuiſſent. Vnum tantum, quod aliquando obiici ſolet ab inuidis, & imperitis, pro literatis diluendum eſſet, niſi longiorem nimis orationem deſiderarent: ſunt enim qui partim uitia quædam propria illis aßignant, partim qui in rebus agendis ineptißimos omnium hominum prædicant. Quibus utinam tempus pateretur, ut eſſet reſpõdendi locus, quandóquidem manifeſtè oſtenderem, propterea nonnulla in literatis uitia extare, quia qui totus candore ſplendidus eſt, in eo facile labecula appareret: at uerò, indoctos, quia ſimiles nigris hominibus omnes ſunt, facile his eſſe ſingulas maculas occultare. Tum uerò (quod uulgò dici aſſolet de ædificantibus propè forum, ut nõ poßint ita Symmetriam ſeruare, quin ab omnibus quotidie, repugnantibus etiam inter ſe de cauſis reprehendantur) doctis hominibus idem euenire, ut, quoniam in oculis omnium, & in luce poſiti ſunt, facile uel minima errata ipſorum inueſtigẽtur, tum propter eundem ſplendorem inuidia premãtur, uel malis rumoribus ab imperita multitudine, uir

tuti

tuti inimica oppugnentur. De rebus agendis autem, aperti us etiã declararem, eas perſæpe ineptias eſſe, quæ uulgus tanquam egregia facta laudarit: quæ uerò damnarit multitudo, ea ſæpenumerò optima eſſe, & præclara facinora. Quare nequis mihi obijciat ulla in literatis uitia, cùm ea, aut nulla ſint, aut certè omnium leuiſsima; ſed inuidentia potius imperitorum commenta, & uulgata; atq; maleuolis uocibus aucta. Cuius multitudinis indoctæ tam magnus eſt numerus, ut facilè ab his nonnunquã, literatorum illuſtris fama aliquantulum labefactetur. Neq; ſomniet eos ineptos, qui ſoli ex omnibus, quid res, quid locus, quid tẽpus poſtulet, ſummo iudicio in omni ſua actione cognoſcere, & unicè obſeruare didicerunt: Niſi ſi fortè is ſit reprehenſor alienorum ille peccatorum, & ineptiarum, qui omnibus ipſe, tum uitijs, tum ineptijs purgatus, de alienis non modò poſsit quaſi ſuo iure pronunciare; ſed de omni uitiorum, & ineptiarum ſylua, & genere, cum ratione diſſerere. Niſi hac ſit uirtute, hac ſapiẽtia, qui de literatis ſtatuere audeat, eum non equidem ineptum dicam (leue enim admodũ eſt id quidem) ſed planè inuidum, obtrectatorem, & impudentem: quin & impium hominem appellabo; ſi doctos homines, quos reuereri debeat, uituperabit; aut etiam unquam ſine honoris præfatione, ac præterquàm laudandi cauſa nominabit. Cùm tot ſint igitur, ac tanta bonarum artium erga humanum genus beneficia; tot commoda; tanta utilitas; tam magna, tã

uera,tam certa earum laus;turpe erat omnino in hoc genere, ab ulla ciuitate uinci noſtram; turpiſsimum, nos ſine controuerſia concedere. At uerò certare pulchrum;uictoriam reportare pulcherrimum.Quid autem longe,omnium conceſſu,antecellere? Sed ſi hinc etiam,non modò ingentem utilitatem; non modò honeſtatem;non modò abundantem gloriam(ut diximus) proficiſci:uerùm(quod noſtra multò magis intereſt) inde etiam ocij,inde libertatis,inde ſalutis, inde incolumitatis,maiorem,& meliorem, certioremq; partē pendêre declarauerimus: quis non maiori etiam; & ardentiori ſtudio,opera,induſtria,diligētia, conatu; ualidioribusq; uiribus liberales artes ſuſcipiendas, fouendas,extollendas,uobis proponat? Quod ita eſſe(ut ego quidem ſentio) hiſq; omnia, quæ prædiximus,niti,& ſuſtineri,uel hoc uno firmiſsimo argumēto an perſpicuum efficiatur,quæſo,animaduertite.Nemo eſt enim ueſtrûm, uiri Lucenſes(iam etenim uos uniuerſos,quicunq; adeſtis,appello)quin uideat,& fateatur,Remp.hanc noſtram, fortunæ grauiſsima iniuria,temporum iniquitate,humanarum rerum uiciſsitudine, ſortè etiam maiorum noſtrorum,uel negligentia,uel diſſenſionibus(nequid grauius dicam)eò redactam eſſe multos iam annos, ut à latiſsimis olim finibus,& magno in Hetruria quondam imperio;ab ingenti bellicæ uirtutis gloria: quæ ſuo milite potuit magna bella conficere:omnis Italæ nobilitatis cauſam, ſæpe ciuium triginta millium manu defendere,

legionis unius ex ſumma ciuitatis nobilitate uno die ceſæ iactura minimè debilitari; cum potentiſsimis hoſtibus diu maxima bella ſuſtinere, & ultrò etiam inferre; ea anguſtis nunc finibus concludatur; militaris diſciplinæ laudes ferè omnes amiſerit; alienis opibus egeat; cæteris quamuis in rebus, atq; ijs quidem maximis, et præclariſsimis, magno deorum immortaliũ munere, ſit florentiſsima. Huic igitur, ſi tempora, ſi mores, ſi ſtatus hominum circumſpicimus, orbis Principum, ac magnorum Regum, gratia, & beneficio, primùm magnopere nitẽdum eſſe uidetur; ut optimè uos ipſos, ac longè prudentiſsimè cenſere ſemper arbitratus ſum. Deinde probitatis, & iuſtitiæ conſtanti opinione; ſapientium conſiliorum fama, caſus omnes, et pericula repellendum, uos etiam pari ſapientia exiſtimatis. Hæc omnes una uoce uolumus, & optamus: omnes precipua cenſemus: omnes uno ſæpe conſenſu comprobauimus. Hæc ad ea adiecta (de quibus paulò ante multa dicebam; ueſtram hanc Remp. diuitijs affluere; mœnibus, propugnaculis, armis, tormentis, cæterisq; id genus rebus omnibus adeò munitam eſſe, ut penè inexpugnabilis fuerit effecta; hominum acutorum, & ingenioſorum induſtria precellere; ſumma prudentia ſenatorum rem omnem publicam geri) ita uniuerſi putamus, corroborare, et publicè, priuatimq; ſtabilire, & perficere cuncta poſſe in Rep. & ego unus omnium id maximè confirmo; ut (quòd iam nihil à nobis ti nendum ſit, niſi maxima aliqua atq; incre-

dibilis, & inexpectata uis, quæ obruere deimprouiſò ualeat noſtras ſumma omnium ciuium animorum cõſenſione coagmentatas uires) eorum dúntaxat à uobis, inopinatorum quidem, ſed humanorum tamen, et à prudentibus præcauendorum caſuum, rationes omneis, quæcunq; poſſunt, tum diſtinendorum, tum propulſandorum ducendæ ſint. Quarum quoniam præcipuæ ſunt illæ, de quibus iam diximus; ſed dicendum eſt ſæpius, in orbis Principes obſeruãtia, gratiæ ipſorum conciliatio, iuſtè, & prudenter administratæ Reip. conſtans, & perpetua fama; ſunt omnino hæc uobis ambienda; atq; omnibus bonis, & honeſtis artibus captanda; moribus, & inſtitutis ueſtris retinenda. Sed aut hoſpitium quoddam, ac receptaculum optimarum artium, & diſciplinarum, id facere; ipſa naturæ rerum ui, & conſtitutione poteſt, ut ſummorũ uirorum ſtudia conciliet; iuſtitiæ, & bonitatis cuiuſdam opinionem gignat; famam prudentiæ, atq; adeò ipſius ſapientiæ pariat; aut nihil reperietis omnino. Nam ubi doctrina eſt, ibi credunt meritò omneis homines ſcientiam eſſe: ubi ſcientiam, ibi intelligendi, & cognoſcendi habitum: ubi hoc, ibi ſapientiam. At uerò, in quo ſapientia eſſe creditur (quod idem ſit ſapiẽtia, quod uirtus eſt) id omnes homines à natura amare, uel inuiti, coguntur: qui amant, conſeruare etiam, & iuuare quos ament, neceſſe eſt. Præterea ſicubi ſapientes eſſe homines exiſtimantur, ibi ſumma cum prudentia; ſumma iuſtitia; fieri omnia creduntur; ratione

manifeſta comprobante: ſed ubi ſunt optimæ diſcipli-
næ, non ne iccirco ibi ſapientia eſſe probatur, quòd ea
ſine his eſſe non poteſt, neq; aliunde oriri, neq; uſquā
ab his ſeparari? quippe quæ ex humanarum, diuina-
rumq; rerum cognitione conſtet, ex boni, rectiq; ſci-
entia, eiuſdemq; electione perficiatur: hæc autem co-
gnitio, hoc deligendi iudicium, ex his tantùm diſcipli-
nis creetur, eaſq; ſemper conſequatur. Vbi igitur lite-
ræ, & doctrinæ (loquor autem de optimis, & recon-
ditioribus, non de his, quas eruditiuli quidam, ſyllaba-
rum aucupes, & uocularum profitentur) ibi earum
comes, & confectatrix ſapientia. In quibus ſapientia,
illa (inquam) rerum omnium præclariſsima, & admi-
rabilis ſapientia eſt, eos & Regum, & Imperatorū,
& Principum, et omnium gentium, ac nationum, uni-
uerſorum deniq; hominum gratia, ſtudium, & bene-
uolentia, iuſtitiæ, & prudentiæ opinio, magna & glo-
ria, & ſecuritas comitatur. Qui tot præſidijs, tan-
tiſq; muniti ſunt, quomodo hi non ſalui eſſe, non inco-
lumes eſſe, non liberi eſſe, non beati eſſe, uideantur?
Quid ſalutē? quid incolumitatē? quid libertatem? quid
beatitudinem iſtorum labefactare, aut eripere pote-
rit? Qua poterunt tempeſtate iactari? Quibus re-
bus aduerſis afflictari? nullis profectò unquam.
Quòd ſi qui ſunt fortè, qui opulentas urbes Regibus
& principibus populorum gratiores eſſe credant;
quòd ipſe non negarim diuitias plurimùm prodeſſe,
hi quidem aliquo modo non errant, ſed in hoc tantū,

quòd non uident opulentæ ciuitatis partem tantùm-
modo, hoc eſt diuitias illas, non ciuitatem ipſam per
ſe illorum animis inhærere. Ego uerò ita diuitias
probaui, & probo, ut melioribus rebus adiunctas, ue
luti ſapientiæ, doctrinæ, fortitudini, liberalitati, ac re
liquo uirtutum choro, multùm adiuuare homines aſ-
ſeuerarim: ſine his autem potius inſtrumenta mali-
tiæ eſſe, tum uerò materiam ad iniurias potentiſſimis
quibuſq; magis afferre, quàm aut ad uirtutem inuita
rent, aut per ſe poſſent tueri ſalutem, ſapientes homi-
nes ſemper cenſuerunt. Si qui autem, trux quoddam,
atq; immane ingenium, ad puniendum, ad ulciſcendum,
ad reſecandum, ad uindicandum omne delictum, acer-
biſſimè intentum: non ad medicanda, ſed ad reſcinden
da, & exaſperanda, ac ſæpius refricanda uulnera ce-
lerrimum, atq; inexaturabilem ſpiritum (quæ opinio
inter nos nimis multorum animos inuaſit) exiſtimant
iuſtitiæ ſanctiſſimum aliquod fanum eſſe; hi ſciant ma
xima crudelitatis illa, ac immanitatis inditia eſſe, bo-
norum potius, & magnanimorum omnium animos
longe abalienare, odia aſperrima concitare, ad iniu-
rias inuitare, quàm conciliare beneuolentiam. Hanc
falſam opinionem eſſe in cauſa, ut uulgò homines de
ea Rep. malè ſentiant, cuius plurimi quotidie ciues, ſi-
ue indomita magiſtratuum aſperitate, ſiue legum, ſi-
ue ſenatus ſeueritate, aut expellantur, aut malè mul-
ctentur, aut (quod grauius eſt) de fama laborent, quã
nemo ciuis (mihi credite) amittit unquã, quin aliquid

ſimul de publica uniuerſorum ciuium exiſtimatione detrahatur, quẽadmodum neq; unq̃ unus ſibi ciuis ingentem gloriam comparat, quin patriæ quoq; inde magna laudis, & honoris fiat acceßio. Ita enim natura, & uſu cõparatũ eſt, ut æq; peregrini, & exteræ oẽs gentes de uniuerſis alicuius ciuitatis hominibus exiſtiment, eoſq; omneis tales eſſe opinentur, quales ſingulos eius urbis ciues compertos habeant. Quæ ratio, & ſi neceſſariam concluſionem non habet: eſt tamen probabilis admodum, & in plurimis ſæpenumero uera. Quare non crudelitas, non aſperitas, non ſæuitia: Sed humanitas, ſed clementia, ſed lenitas, iuſtitiæ potißimæ ſunt partes. Quid n. illis odioſius? Quid inuidioſius? Quid ad iniuriã paratius? Quid uerò his amabilius? Quid gratius? Quid ad comparãdã ſummam beneuolentiam aptius, & acrius? Eodemq; modo de prudẽtia ſtatuendum eſt, qua nõ ij continuò abundare cenſentur, ſi qui opibus, & diuitijs affluũt. Cùm diuitiæ non ſemper quidem (ut uulgus putat, & ueſtrûm fortaſſe quàmplurimi) ſed ut perpendunt qui uerè prudentes ſunt homines, aliquando quidem induſtriam ſequantur; ſæpius uerò, imò ſemper fortunam ducem habeant. At qui doctiores, qui ſapientiores, qui eruditiores ſunt, hos prudentia omnis ſemper conſequitur, his comes, & pediſſequa eſt ubiq; neq; ullo fortunæ caſu, aut addi, aut adimi eius pars ulla põt. Quãobrẽ ſatis manifeſtũ factũ eſſe arbitror, non ſolum iuſtitiæ, prudentiæ, ſapientiæ opinionem

de ea ciuitate inter omneis nationes gigni, quæ optimis ſtudijs det operam, & in honore habeat; ſed illas ipſas etiam maximas uirtutes, cum ſumma publica utilitate, ſi deſint, iiſdem ſtudijs comparari; ſi adeſſe uideantur, conformari, & confirmari: deinde et ſtudia, & gratiam, & beneuolentiã, Imperatorum, & Principum omnium gentium, cõciliari ijs artibus, augeri, & conſeruari. Sed iam ex ipſa noſtra intima cogitatione (ſi modò communi ſenſu non indigemus) quid de ciuitatibus his, quæ literarum ſtudijs florent, homines uniuerſi ſentiant, noſmetipſi (ſi placet) conſtituamus. Quis noſtrûm eſt à propria hominis ratione, et humanitate non abhorrens, quin uel ad priſca nomina illa tantùm, Athenarum, Lacedæmonis, Rhodi, cæterarumq; Rerumpp. quæ ſuis olim legibus liberè uiuentes, bonarum artium ſtudijs, & gloria floruerunt; animo plurimum non commoueatur? mœrorẽ acerbiſſimum non ſentiat? ſi ſubeat animo tot uirtutum, ſcientiarum, ingeniorum, excellentium ſtudiorũ recordatio quædam: tum eorum omnium euenta, & caſus conſideret? ſi illarum urbium clariſſimarum, præſtantiſſimorumq; hominum, uaſtitates, & interitus ob oculos, uix lacrimas præ animi dolore tenentes, obuerſentur? ſi tantorum nominum memoriam, famamq; propè deletam uidet? Cõſtituantur ex aduerſo ciuitates illæ, quæ nulla literarum peritia melioribus ſuis temporibus cenſebantur (quas ne appellare quidem nunc multùm noſtra refert) nemo paulò ſapi

entior

entior eſt, qui ipſarum ruina, aut interitu uehemētius tangatur. Sed unà cum ipſarum memoria, omne pariter illarum deſideriū extinctū eſt. Ecce quis ſit noſter, & bonorum omnium tacitus ſenſus in eas ciuitates, quæ optimis diſciplinis excelluerūt; quis in illas, quę à literis abhorruerunt. Eſt & huc pertinens optima etiam, & apertiſſima illa ratio, ex hiſtorijs undiq;, & antiquorum monumentis, quæ ad noſtrum emolumentum ſcripta nobis relicta ſunt, petenda, & explicanda. Nam ſi (ut accepimus) totius græciæ ſplēdor Corinthus; florentiſſima olim ciuitas, & antiquiſſima, Syracuſæ; ſi opulentiſſimæ Aſiæ urbes quàm plurimæ; & ditiſſima regna; ſi Thebæ, & Chalcis; ſi Macedonum gaza; ſi Hieroſolyma; ac Rhegium deniq;; & urbes aliæ permultæ; ſuis diuitijs potuerunt ad prædam; illæ continentiſſimum omnium gentium populum Romanum, hæ abſtinentiſſimas legiones; aliæ caſtiſſimos duces; nonnullæ ſummos eorum Imperatores, inuitare; ad populationes, ad oppugnationes, ad uaſtationes, agrorum, urbium, prouinciarum impellere: quid eſt, cur nos, quicunq; uiuunt his noſtris temporibus homines, non exiſtimemus facillimè cuiuſcunq; ditiſſimæ urbis inhiare pecunias? potiundi cupiditate incendi? Quid nos hiſtoriarum cognitio iuuet; niſi per hanc animo quæ proſpicienda ſunt, complectamur? At uerò contrà, ſi conſtat unius Ariſtotelis doctrinam, patriæ potuiſſe interitum prohibere; ſuis ciuibus ſalutem dare: ſi unius Archimedis ſci

entia tam diu dicitur Romani maximi exercitus fero ciſsimos impetus eluſiſſe: ſi trium excellentiſsimorum philoſophorum oratio potuit irato, & Romano Senatui ita arduas Græcorum poſtulationes probare; ut petitam magnæ pœnæ remiſsionem, ſed inexpectatam obtinerent: ſi unius philoſophi, atq; eius quidem non admodum celebris nominis, ſpectata uirtus uictorem Octauium Auguſtum potuit ad ueniam concedendam Alexandrino populo, ad eius urbis conſeruationem, adducere; ſi una Pindari domus in Thebarũ excidio potuit inſolentiſs. in uictoria Regis Alexandri iuſſu ſeruari. Sed quid ego ſingula hæc perſequor? quæ innumerabilia referri poſſunt? Quin potius uniuerſa ſimul complector? multa extare, & ampla antiquorum monumenta, ex quibus, ſingulis ætatibus, perſpici quàm apertiſsimè poteſt, quanto uſui fuerint, docti, & ſapientes uiri, magno diſciplinarum excellentium præſidio confirmati, tum in propellendis, in præcauendis, in auertendis, in deprecandis periculis omnibus, & in commodis; Tum in comparanda ſibi, & ciuibus ſuis, uirtutis, & ſapientiæ optima, & conſtanti fama, ſuæ patriæ ſalute, & incolumitate; Tum uerò in flectendis Principum uirorũ uoluntatibus, atq; ad ſtudia in ipſos, & beneuolentiã concitandis. Quibus præcognitis, nos tamen arbitrabimur, non plurimùm omnino ualere ad permouendas in omnem partem hominum uoluntates ſummam doctrinam, magnam rerum cognitionem? quibus de-

ſtitutos in conſpectu orbis Principum; in conuentibus, & coronis magnorum uirorum; in populorum concilijs; apud grauiſsimos magiſtratus: apud iudices uidemus perſæpe ſtare ueluti lapideos homines, tum cùm maximè apta oratione opus eſt, & prudenti rerum actione. Quod quantum Reip. officiat uix explicare dicendo poſſem; ſed uos inde optimè intelligetis, cùm perpenderitis, quid in publicis rebus agēdis proficiat ſapiens, ac eloquens, & acer aliquis adminiſtrator: quanto ſint detrimento, hebetes quidam, infantes, & deſidioſi homines, atq; ineruditi; ſi quando ad eos, uel magiſtratus, uel legationes, uel publica alia negocia deferuntur. Quod ſæpius contigiſſe, & noſtra, et ſuperiori ætate utinam non poſſet inductione, & digiti fermè intentione demonſtrari. Eodem autem animo (me Hercule*) ſunt, & haberi uolunt, qui rerum potiuntur: quo boni uiri, quo gloriæ cupidi, quo magno, & excellenti ingenio præditi, quo uos ipſi eſtis; qui omnes proprium hoc habent, & habuerunt ſemper, ut doctis uiris, ut bonis diſciplinis, ipſarumq; iucundiſsimis fructibus capiantur; ut in complectendis literarū ſtudijs, ſtudioſisq; hominibus, præclaræ etiā illorum gloriæ inuideant, eandem famam ambiant, eorum uirtutes æmulētur, quos ab hominum memoria immortales eſſe factos huiuſmodi rationibus patet.*

Neq; enim omnes illi excellentiſsimi uiri, quicunq; fama rerum geſtarum cæteros uniuerſos antecellunt, ſine his ſtudijs, aut tot præclara facinora edidiſſent,

aut tot uirtutibus ornati fuiſſent, aut tantum laudis meruiſſent; aut eam, quæ illos adhuc etiam cõſequitur gloriam comparauiſſent. Conferantur (ſi libet) ex omnibus terrarum imperijs, ex omnibus præteritis temporibus, omnes ij Reges, & populorum Principes uiri, quorum ad nos magna, & optima fama peruenerit. Procedant Cyrus, Philippus, Alexander: Tum Aegiptij Reges, & Aſſyrij quidam: Pericles deinde, Themiſtocles, Ageſilaus: Inde Dauid, Salomon, & Eſechias. Tum uerò noſtri omnes proponantur: Scipiones: Bruti: Maximi: Catones: Lucullus: Pompeius. C. Cæſar: Octauius Auguſtus. Præterea Antoninus: Aurelius: Iuſtinianus: Carolus Magnus: & reliqui omnes huius generis ſiqui ſunt; in quibus omnibus hæc inter ſe coniuncta congruere, & conuenire penè omnia reperiemus; ut ijdem, & doctrinas perdidicerint, & adamarint: bonas literas calluerint & coluerint: doctos homines in honore habuerint, & maximas res ijdem, & clariſſimas geſſerint; & gloriam immortalem literarum commendatione retulerint. Quin illud inſigniter conſtat, nullum fuiſſe unq̃ inter orbis Principes bonis artibus inimicum, cui hoc non euenerit: ſiue, ut uitam in obſcuritate, & in tenebris inglorius, et incognitus penè duxerit: ſiue ut eius nomẽ citò interierit: ſiue, ut ſumma nunc etiam infamia circumferatur. Quod ſentientes Principes illi uiri per omnes ætates ſi qui boni extiterũt, qui tamẽ literarũ expertes eſſent; quæ ipſi ſtudia perſecuti diſciplina non

fuerant, in uiris eruditis ſunt omnibus beneficijs, & præmiis proſecuti; ut amicos, & beneuolos haberent, qui id maximè mererentur. Tanta eſt uirtutis ad ſui amorem inflammatio; tanta doctrinarum uirtus ad bonorum in ſe beneuolentiam, & charitatem excitandam. Ac (per deos immortales) quis erit cupiditate, q̃tumlibet inexplebili, dominãdi uſq; eò incitatus? quin is tanq̃ ſacrarium aliquod colere potius, quàm contemnere eas ciuitates cogatur ac rei ipſius indignitate ab ijs appetendis abſtinere; imò eas ab omni iniuria defenſas tueri? quarum probitas, fides, urbanitas, & æquitas; ſapientia, ac ſanctitas, quæ omnia ſemper literis addictos homines comitantur, & exornant, animo de ea cogitanti obuerſentur? Hi ſunt fructus, quos publicè ex bonis artibus percipi, paulò ante fueram pollicitus me dicturum; ut ſcilicet bonarum artium ſtudioſa ciuitas; ſumma ſuæ conſeruationis ſpe, certaq; uitã degat; ualidiſsima propugnacula aduerſus humanos caſus oẽs habeat; ſuas opes augeat: bene, & glorioſè uiuat: ab omnibus gentibus eius uirtus ametur, ſapientia colatur, æquitas defẽdatur ſcientia laudetur: ſtudia omnia cum admiratione celebrentur. Quamobrem cùm unum illud uniuerſum bonum, omni hominum generi, ſolum expetendum hæc ſtudia largiantur imprimis, & præſtent, quod qui adipiſcitur (quoniam cætera in ſe, quæ bona, & appetenda, hominibus uideri ſolent, omnia uniuerſa cõplectitur, & recipit, ueluti aquas omnes oceanus) ei

nihil deeſſe ad ſummam felicitatem poteſt: In quo au-tem omnia ſunt, conſentaneum etiam rationi eſſe, dicẽdum ſit, ut in eo ſingula hæc quoq; pariter compre-hendantur, & coagmententur: ut ſcilicet maximam noſtræ ſalutis partem eadem ipſa ſtudia contineant; libertatem confirment; gloriam pariant; pacem gi-gnant; concordiam roborent: iuſtitiam doceãt: æqua bilitatẽ ciuium probent: induſtriam augeant: diuitias ornent: laudes ueſtras conſolident, & extendant: ciui tatem gratioſam efficiãt: incrementum deniq;, robur, ac ſtabilitatem ſingulis bonis omnibus, & commodis rebus afferant: Quæ ſingula, et uniuerſa, aut nos hac tenus comprobauimus, aut per ſe ipſa apparent, aut uosmetipſi prudentia ueſtra, ex his, quæ diximus, in telligere iam poteſtis: uos omnes his benefactis ueſtris meritò (ſicut facitis) gloriari Reip. cauſa debetis: neq; ego propterea ſum, aut minuiſſe propriam dignita-tem exiſtimandus, aut (quod fortè ineptiſſimi quidam, & imperitiſſimi faciunt) hac de cauſa contemnendus, qui huic literarum generi operam nauem: qui hac æ-tate, præter inueteratam, uel (ſi licet) deprauatam cõ ſuetudinem, ad hæc huiuſmodi officia, & exercitatio nes me conferam: nos uerò omnes (pro uniuerſis enim mihi uerba faciẽti fidem habeatis oro) omnes (inquã) quicunq; ex literarum, quaſi naufragio ſuperſtites ea rum amatores, et ſectatores ſumus, gratias uobis mul tas, & ingentes habemus, & agimus, quòd iudicium noſtrum ſeculi, qui ne hominis quidem nomine abhor

rentem à literis dignum ducimus, diſciplinarum opa timarum patrocinium ſuſcepiſtis, eas extollendas uo bis propoſuiſtis. Quo factum eſt, ut iam ueſtræ ſint partes, ad uoſq; magnopere ſpectet, ut ad maiora quæ dam in ijs ſtudijs, & longè utiliora his, quæ à uobis hactenus curata ſunt, rurſus magnos animos ueſtros erigatis, cogitationem intendatis, mentem adhibeatis: Nam multa quidem etiam ſuperſunt, ualde commodā, & utilia procuranda, ex his autem nonnulla præcipua, ac perneceſſaria, ad opus hoc ueſtrum confirmā dum, ne inchoatum quoddam, informatumq; corpus relinquatur. Si enim ſumma omnia hiſce ſtudijs, ut debemus, boni omnes deferimus: his uerò, quæ prouidiſtis (quorum ea eſt conſtitutio hoc tempore, ut parua quidem etiam nunc ſint, magna aliás futura, ſi pauca ſaltē addideritis) ſunt adhuc aliqua adijciēda: quid ego uobis ea proponere dubitem? Quid uos eadem, & libenter audire, & beneuolè curare prohibeat? Hoc igitur quod mihi à principio memini fuiſſe propoſitum, ut poſtremo loco tractaretur, iam tempus eſt explicandi. Sed id quidem paucioribus multò, q̃ cogitaram, à me fiet: tum quia, quæ omnium, ſed adoleſcentis præcipuæ partes ſunt, in magiſtratibus admonendis parcum admodum eſſe, & uerecundum, eas mihi conſeruandas omnino propono: tum quia pluribus, q̃ ſtatueram, probatum à nobis fuit in his, quæ prædiximus, q̃tum Reip. interſit, bonæ omnes diſciplinæ ut alantur in ciuitate: q̃tum eæ ſingulis ciuibus bō

ni ſint apportaturæ. Quarum ſi multæ, atq; eæ qui-
dem præſtantiores deficiunt: quis neget; hoc à uobis
exigi, hoc iure poſtulari; hoc uos præſtare debere;
hoc ueſtræ dignitatis, & poteſtatis eſſe proprium
munus, ut curentur, ut doceantur, ut tradantur: ne dū
quod bonum eſt, pro ueſtra ſapientia præbetis, quod
eſt optimū, ab iniquitate fortunæ intercipi patiatis.
Eſt igitur ſtudioſorum deſiderium, aut multis propo-
ſitis circa rem literarum non contemnendis doctri-
nis, quaſi ad decurrendum ſpatijs, explendum, aut ſal-
tem, his, quæ à me curſim explicabuntur, incredibili-
ter neceſſarijs, & ſine quibus nihil penè certum diſci,
aut ſciri poteſt, parumper mitigandum. Deligendus
eſt igitur doctor aliquis cum primis eruditus, qui cer-
tarum illarum artium, quas Mathematicas appellant,
principijs uniuerſis erudiat iuuentutem: quarum cum
tantus ſit uſus, quantus eius artis eſſe debet; ſine qua nul-
la ſcientia haberi, aut percipi poſſit omnino, tanta eſt
tamen doctorum inopia, ut fateri pudeat, ſed tamen,
ſi ſic ſe res habet, dicendum eſt: neminem eſſe hominē,
aut pauciſsimos admodum in noſtra ciuitate, qui hu-
ius unius artis, non modò ſcientiam omnem (id enim
commune nimis doctorū ferè omniū peccatū fuit mul-
ta iam ſecula) ſed initia ipſa, & fundamenta (quod ue-
reor ne nobis fortè diutius propriū ſit) cognorit, aut
perdidicerit. Et tamen operā prorſus in cæteris di-
ſciplinis ludi, niſi hanc primo quoq; tēpore cognitam
habeamus, doctiſsimi omnes homines ſemper conſen-
ſerunt.

ſerunt. Eſt *ſcientia hæc quidem,Aſtrologiæ,Coſmo-graphiæ,Geometriæ,Arithmeticæ,cæterarumq; eius generis,maximè propria ; ſed ita tamen,ut cum Dia-lecticis,Phyſicis,Medicis;cum Rhetoribus,Theologis Muſicis,Phyloſophorũq;,& Oratorũ uniuerſo gene re;fortè etiam,& cum Iuriſprudentibus(ſi quis mo-dò eorum eſt,qui ueram,rectam , & uniuerſam eius facultatis doctrinam appetat) malè admodum aga-ur; ſi Mathematices fundamenta neglexerint.In qua una doctrina conſiſtunt artium omnium,& ſcientia-rum,uera,certa,firma,& immutabilia principia,& ueræ cognitionis firmamẽtum. Poſſet hoc aperta ra tione,et perſpicua demonſtrari,quæ eſt in promptu: Sed non iniuria,quæ ſubtilius aliquantulum tractan-da ſunt(quantumcunq; uera poſtmodum,& clara in ueniantur)ab huiuſmodi ſermonibus remouenda,& ad quietas inter ocioſos diſputationes referenda, pru dentibus hominibus uideri ſolent ; quorum mihi ſen-tentia uehementer probatur . Quare ſatis iam ſit ab eruditorum proprijs diſputationibus abſtinentem, rem ipſam attigiſſe;ſtudioſorum in hac re neceßita-tem oſtendiſſe;utilitatem huius artis indicaſſe.Præte-rea omnis ætas,omnis gradus,omne genus ciuium, at q; adeò aduenarum,in bene conſtituta ciuitate,ijs di-ſciplinis inſtrui debere,nemini dubium habendum eſt, quibus ea ciuitas poßit deinde optimis moribus exor nari : hoc ratio poſtulat ; ſenſus communis omnium indicat;uos in ueſtra Rep.ſummopere(ut debetis)op tatis;ipſe princeps idem profiteor; ſæpe rerum exi-*

tus comprobauit; omnis deniq; etiam imperitorum multitudo aſſentitur. Sunt autem optimi illi mores tã tùm (neq; enim alij ab his ulli probi extãt) qui certa, et explorata ratione dignoſcuntur, et terminãtur; habitu rectorum factorum ſtabiliuntur; expetẽdarum, fugiendarumq; rerum uniuerſa ſcientia, & uſu, ad eã cognitionem accommodato perficiuntur. Hoc ut recte fieri, & abſolui poßit, ac perfici; ne ue nullo iacto ſtabili fundamento corruant mores boni, probitasq; omnis, & uirtus concidat; curationis eſſe ueſtræ non dubito quin cognoſcatis. Sed ut certa hæc morum cognitio acquiratur, ea Philoſophiæ pars petenda eſt, quæ de moribus agit: in qua quoniam ex his, quæ ad agendum, & ad cognoſcendum pertinent, omnia illa traduntur, quæ uitam hominum, actioneſq; omneis noſtras ſpectant; adeò perfectum, atq; abſolutum Philoſophiæ membrũ eſt; tam ad omnia, quæcunq; agimus, aut deliberamus, aut expetimus, aut prouidemus penitus introſpicienda factum, & opportunum; ut ſine ea hominum uita nulla ſit, aut ferarum penè ſimilis. Nã neq; priuata officia ulla; neq; publica: neq; domeſtica; neq; amicorum: non propria, non communia ulla negocia explicare: ſed neq; cogitare, neq; experiri quid poſſumus; ubi non ſit continuò ad hanc diſciplinam confugiendum; huius opus maximum in his omnibus; ac mirificè ſalutare non inueniatur. Hæc ſi adſit, beatiſsima; ſi abſit, miſerrima eſt prorſus mortalium uita. Hanc meritò ſapientißimum illum, re uera, & deorum, atq; hominum teſtimonio, Socratem cœlo ea

noſe aſſe, humanoq́; generi pro diuino maximo munere tradidiſſe, Græci, noſtriq́; probatiſsimi omnes auctores ſuis ſcriptis teſtificati ſunt. Hanc ſapientiſsimi ſemper, et doctiſsimi omnium hominum, et linguarum excoluerunt, illuſtrauerunt, celebrauerunt; doctrinam profectò optimam, diuinam uerè, atq; cœleſtem; quã unam imprimis, etiã ubi è corpore animus euolarit, eum nunq̃ eſſe deſerturam, ſed in cœlum comitaturã, ſemper mihi perſuaſi; neq; unq̃ de ſententia me deijci paſſurus ſum: tantum huic ſcientiæ tribuo. Atq; equidem cæteras ego omnes potius dediſcere mallem diſci plinas, quàm huius unius aliquam partem ignorare. Hanc unam animo comprehenſam plus profuturam adoleſcentibus exiſtimarim, ſiue ad doctrinam adipiſcendam, ſiue ad uitam ducẽdam, quàm reliquas ſimul in unum corpus coagmentatas. Quid mirum, ſi tantũ hæc diſciplina poßit? cum ſit hæc una, uniuerſorum ſapientium conſenſu, præſtantiſsima, ac ſanctiſsima; eademq́; iucundiſsima, fructuoſiſsima, perneceſſaria, uitæ magiſtra, uirtutum omnium parens & alumna? Quæ omnia uos animaduertere, & perpendere debetis, quibus, pro officio ueſtro, et poteſtate, de moribus liberorum ueſtrorum, ac totius ciuitatis eſt ratio habenda. Neq; enim ullum eſt ad malos mores ſanandos tam præſens remedium, ad repellẽdos tam potens, ad diſtinendos tam aptum; æq; ad bonos introducendos utile, ad conſeruandos bonum, ad animos ad tales habitus componendos, & purgãdos natum, & idoneũ, quàm hæc eſt Ethicorum diſciplina: qua (ut tam toti-

84

*es dico) bene uiuendi, rectè agendi, bonum à malo deli-
gendi, ſcientia omnis comprehenditur, & continetur;
uſus domonſtratur, & illuſtratur. Quare aut ſunt
hæc iuuentuti cognoſcenda, et perdiſcenda, ac præ ma
nibus habēda; aut de moribus res omnis prorſus for-
tunæ incerto, & uolubili conſilio committenda; caſu
omnia adminiſtranda. Quod quoniam neq; honeſtū,
neq; utile, neq; è ueſtra dignitate eßet, ſed potius ali-
quo cum reprehēſionis iuſtæ periculo fieret; ideo cō
mittendum non eſt, ne bonorum morum doctrina om
nis deficiat liberos ueſtros. Si igitur de hac ueritate
perſuaſi eſtis, alterum præceptorem, nobis, ſtudio-
ſis, liberiſq; ueſtris aduocate, atq; inſtituendæ in hac
diſciplina iuuentuti præficite. Hic tum moribus ipſe,
tum doctrina præſtans, ad optatos bonis omnibus phi
loſophiæ moralis fontes, occluſos aditus reſeret, & pa
tefaciat. Per hunc liceat in ſanctißima optimæ philo-
ſophiæ penetralia ingreſſos commorari. Has ambas
adoleſcentibus diſciplinas ſi tradendas curaueritis, mi
rificos confeſtim fructus; magnos tum in bonis mori-
bus, tum in doctrina progreſſus in liberis ueſtris, ma
gna animi lætitia uos admiraturos, nō modò ipſe pro
mitto; ſed & bonos omnes conſponſores mecum fore
recipio. Et quoniam ita ſunt humanæ res, partim ex
ipſarum propria ui, & natura, partim propter om-
nium gentium conſuetudinem, conſtitutæ; ut ſine legi-
bus uiui uix poßit; nec ſine earum peritia, ac totius iu
ris ſcientia, hæc tum uniuerſi generis humani, tum cu
iuſq; ciuitatis ſocietas conſeruari; adiungendam ego*

cenſerem tertio loco aliam quoq; facultatem, quæ maximæ, ac perpetuæ utilitatis futura eſſet effectrix: uerum iuriſconſultorum reſponſa hæc pulcherrima publicè interpretanda; quæ ex magno illo incendio reliquorum in hoc genere ſcriptorum, bonis, & eruditis omnibus deplorando diuina (ut arbitror) ope ſeruata ſunt: ſed uereor, ne in auxilijs poſtulandis, nõ nullis, non ita probè adhuc erga literas, ut eſt optandum, animatis modum ſeruare parum uidear: nam à ueris literarum, atq; humanitatis totius amatoribus non dubito, quin parua, ac pauca nimis etiam nunc petere exiſtimer. Sed tamen in illis Iuriſconſultorum antiquorum puris, & religioſis dictis (reijcio enim tot interpretum commentationes partim (ut ſentio) ineptas, partim indoctas, partim inanes, nonnullas captioſas, & litigioſas, plurimas uerò barbaras) tanta apparet cognitio: tanta ſimplicis æquitatis obſeruatio: tot interpretandi, definiendi, diuidẽdi præſtantes regulæ: tot præclaræ ſentẽtiæ: tam multæ rationis aptiſſimæ concluſiones: ea ſanctiſſimæ iuſtitiæ forma, & quaſi figura. Tum uerò tantus uerborum in breuitate ſplẽdor: tantus linguæ candor: tam expreſſa in oratione Romani illius ſpiritus effigies: tam copioſa, & uaria ad omnes res intelligendas, & agendas prudentium in omnem partem inſtitutorum copia; ut neſcias quid in his prius, quid poſterius mireris. Breuitas eſt dilucida, & perſpicua admirabiliter. Eſt copia, & ubertas dictionis, preſſa tamen, & circuncluſa pulcherrimè: in uerbis elegantia, & lumen: in argumentis uis,

ac ſubtilitas: in æquitate dijudicanda acumen: in deliberatione proponenda, & explicanda, perſpicacia mirifica, & ſolertia: in ſententijs, grauitas, & ueritas. In uniuerſis autem iuſtitiæ, magnanimitatis, & constantiæ; pariterq; modeſtiæ, et prudentiæ, illorum hominum, & temporum imago quædam, quæ noſtris pene oculis ſubiecta, notionem quãdam uirtutum illarum, animorumq; eorum excellentiũ in nobis gignit, qua & longe ſapientiores efficimur, & uirtutis amore uehementius afficimur. Hanc quoq; igitur puram doctrinam (ſi dicendum eſt quod ſentiam, non quod contendam) in ciuitate noſtra familiariter explicari placeret, idq; peterem à uobis, ſi tantum ſtudioſorum emolumentum omnes facile laturos exiſtimarem. Nec ſit aliquis, qui putet hanc diſciplinam æq; aliunde peti à liberis ueſtris poſſe; neq; enim ita id cõmode fieri poteſt, nec omnes pariter poſſunt; neq; eſt par ea diſciplina, quæ ab adoleſcente ſuo arbitratu, ei quæ ante oculos parentum ſuſcipitur: illa enim rara, remiſſa, & deſidiæ plena opera eſt: hoc aſsiduum, acre, & intentum ſtudium: illa negligenter, & quantum libet, hoc diligenter & quãtũ debet, præſtatur. Neque uerò hæc ſimplex doctrina, cuius tantam eſſe utilitatem demonſtraui, ea quæ à me propoſita eſt ſingulari ratione uſquã traditur, & tractatur. Sed uidete (quæſo) quid egerim, dum pro his omnibus adoleſcentibus uerba facio, qui ſtudiorum optimorum deſiderio flagrant. Propoſui uobis eorum omnium, totius uidelicet Lucenſis iuuentutis doctrinam, ideſt, probitatem,

ſalutem, beatitudinem: quæ omnia in manibus ueſtris ſunt, ſi eos his bonis locupletare non recuſatis. Nam magnam tot bonorum partem tribus his diſciplinis contineri, et comparari poſſe abundè iam oſtendimus. Quid autē contrà oneris à me uobis horū omniū cauſa iniungeretur? Quid incommodi afferretur? Quid detrimenti Reip. aſsignaretur? Magnis hæc fortè ſumptibus, uel (ut impudentes aliquos uideor obijcientes uidere) ingenti ſcilicet aliqua iactura ſunt conquirenda, & apparanda? Quæ maxima quoq; pro eorum dignitate deberent impenſa exquiri, ea, ſi mediocri, uel minima etiam poſſunt curari, pro literatorum magno numero, & eo, quo uerè docti omnes, & humani uiri tenentur ſuas doctrinas cæteris communicandi laudabili deſiderio, cur negligātur? cur refutentur? Ego uerò uos magnopere rogo, ne id permittatis, ne tantū culpæ, & dedecoris admitti ſinatis. Verùm enimuerò quid quæritis? Quid dubitatis? Si libella auri & ſemis, aut pluſculum aliquantò, & fortaſſe minus, ſingulis annis in hoc opus erogatum, hoc tantum utilitatis, tantum dignitatis, tantum gloriæ, quātum nec dici, nec cogitari poteſt, uobis cumulatè largitura eſt: Quid ſtatis? Quid ardētia ſtudia iuuentutis tardatis? Quid tandem tot millium cæteris in rebus expenſorum minus utilibus, & honeſtis? quid inſanorum ſumptuum, atq; eorum quidē quotidianorū ſummæ cumuli acceſſurum putatis? ſi quinq;, uel ſex auri ſeſtertia quotannis in redimendam uirtutem, hoc eſt ipſam felicitatem expenſa, Quæſtor in publicas

tabulas referat? Vos in Principes uiros, in hoſpites, munifici; in miſeros, in ocioſos, liberales; in publicis operibus magnifici; in his, quæ ad cuſtodiendã Remp. & tuendam facere uidentur, laudatè quidem, ſed penè tamen prodigi: minus omnibus hominibus, ubi opus eſt, tenaces, minus pecuniæ parci; in hac una re tali, ac tanta, auaritiæ (quod deus auertat) accuſandi ſitis? Quæ publica utilitas, quæ uobis gloria inde ſequatur, ſi hæc præſtiteritis, non uideatis? An neſcitis agrorum, & finium noſtrorum anguſtiam, ac numeroſam ciuium prolem poſtulare, ut quàmplurimi ex liberis, & ciuibus ueſtris, diuerſas orbis regiones peragrent, ſua induſtria ſibi diuitias, & laudem per omnia orbis emporia cumulent? apud exteras nationes bonam ætatis partem peregrinentur? Quibus in locis quid ſine literis, ſine bonis diſciplinis conſequi poterunt? Interrogate ciues, illos ueſtros ſpectatos apud externas gentes homines. Quærite ab illis, quid literarum, quid linguarum, quid doctrinarum peritia iuuet aduenas quoſq; in alienis ciuitatibus. quid huius generis hominibus tribuatur; quanto ſint uſui. Intelligetis omnino ſummis uiribus enitendum, ne poſtulata noſtra apud uos fruſtra expoſita ſint. Sed non dubito, (qui ueſter eſt diſciplinarum, qui ſtudioſorum, qui ueſtræ Reip. amor) quin aliquando, uel precibus noſtris uicti, uel ueſtra uoluntate uota noſtra ſitis expleturi. Neq; enim uos ignorare arbitror, plurimorum liberorum optimis parentibus ſimiiles uos eſſe debere, qui non eſcas, & alimenta prima tantùm illis, præbent;

præbent; ſed diligenter educunt,ueſtiunt,exornant,iiſ dem diuitias diuitijs cumulant;ad omnia officia inſti= tuunt,& inſtruunt; nuſq̃ uerò deſinunt aliquid de eo rum commodis, & fortunis augendis cogitare: nec unq̃ quid in illos iam ante contulerint,intuentur, aut meminerunt; ſed quid ijs adhuc deſit, ſumma diligen= tia,& charitate perſcrutantur. Hæ ſunt magiſtra= tus ueſtri,totiusq́; Senatus in Rep.partes,ut non mi= nori ſtudio, & beneuolentia diſciplinam iuuentutis uniuerſæ procuretis, q̃ ſuorum liberû m faciant lau= dati patres familiâs. Hos(ut debetis)ſi fueritis imi= tati,de animis adoleſcentium omnium perfectè ad uir tutem conformandis,& pulcherrimè effingendis,cre= brò eſſe cogitandum, ea de re aſſiduam curam uobis ſuſcipiendam intelligetis. Ad hoc munus uocatos; ad hoc uos officium fungendum electos à Deo opti. max. fuiſſe conſtituetis. Cuius etiam nutui non liben= ter, & prompto animo parêre ſceleſtum,& atrox facinus eſt. Ea perſuaſione ducti ad ingenia cuncto= rum adoleſcentiũ in optimis,& moribus,& artibus; in præclaris diſciplinis,& ſtudijs,in omni uirtutum genere exercenda, & tanq̃ in gyrum doctrinarum ducenda, ſummam cogitationum ueſtrarum omnium conferetis. Ea cura, ſtudioſorum, & bonorum om= nium optata,& poſtulata (quæ mea oratione utcun que expoſita ſunt)uobis uehementer probabit;ad no= uos, & plures magiſtros reliquarum diſciplinarum accerſendos;ueteres,quos excellentiſſimos habetis,ani mandos,& augendos,impellet:ne ubi magis eſt opus,

ibi eſſe in pecuniis erogandis parciores uelitis, eadem flagitabit. Quin hæc ipſa cogitatio efficiet, ut enitamini, nequa omnino bona ars inueniri poſsit, cuius non eruditiſsimos doctores, non optimos ductores ex ea eruditorum ſchola aliquando liberi ueſtri, ideſt iuuentus omnis habeat; ex qua qui uiri, qua præditi eruditione prodeant, bonos omnes, qui huius præſtātiā mecū admirātur, locupletiſsimos teſtes produco: ac ne ad ea, quibus poſsint uitā honeſtā trāſigere; ampliores fortunas cōſequi; gloriā cōparare; Remp. *iuuare, & ornare; bene, & beatè uiuere; ſui nominis præclaram poſteris memoriā relinquere, inſtrumenta ulla, aut adiumēta deſiderēt.* Hoc ego *à uobis peto.* Hoc *boni omnes condendunt.* Hoc Reip.*rationes poſtulant.* Vos *pro ueſtra ſapientia præſtare debetis.* Hoc *diis immortalibus gratum, acceptumq́; futurum eſt.* Hoc *nomine cuiq; ueſtrûm gloria ingens, dum in hoc uitæ hoſpitio commorabitur, propoſita eſt.* Cùm *uerò ex hoc carcere euolaueritis, ad beatorum æternas illas ſedes aditus cunctis patebit; quas* Dei Opt. Max.*clementia, & benignitas his hominibus ab æterno tempore præparauit; quos ipſe ad præclara hæc opera efficienda, atq; edenda, ſempiternæ mentis conſilio (quod neq; fas, neq; poteſtas alicui eſt perſcrutari) ante omnium ſeculorum ætates elegit, et inſignitis futuræ beatitudins notis,* Dei *fiducia, animo in cæteros homines beneuolo, ac benefico, humanarum rerū deſpicientia, conſpicuos fecit, et conſeruauit.* Quam *obrem per liberos ueſtros ſumma uobis charitate, ip-*

ſius naturæ ſanctiſsimis, & arctiſsimis uinculis coniunctos, quorum de ſalute in præſentia potiſsimùm agitur; per omnes fortunas ueſtras, à uobis maximis laboribus partas, aſsiduo ſtudio conſeruatas, quibus tutiſsimus receptus his rationibus præparatur; per ueſtram Remp. cuius amore bonorum ſemper ciuium pectus flagrat, quæ ampliſsima omnia ex propoſitis à me ſtudiis expectare debet; per hãc felicitatem, qua publicè, priuatimq; ſupra mortaleis omnes à Dijs donati eſtis, doctrinarum huiuſmodi inſtitutis conſeruandam, æternoſq; in annos producendam; per Deos ipſos immortales; quorum ampliſsima, & maximè illuſtria in uos collata beneficia exiſtunt; ſed plura iã, & clariora in uos ita affectos q̃ primùm extabunt: uos rogo, & oro; uos deprecor, et obſecro; ſi ciuibus ueſtris, ad uitam omnem tranſigẽdam, quaſi uiaticum perpetuum comparare, patriæ parentum officium eſſe pium cenſetis; ſi eorum animos, qui à uobis regi, ac Remp. quandoq; & ipſi regere debeant, ad libertatis, ad pacis, ad concordiæ ſtudia, optimis inſtrumentis optimè effingi, è Rep. eſſe iudicatis; ſi de prauatis moribus, pro eò quod facere debetis, emendãdis, euellendis, atq; à ciuitate arcẽdis cogitatis: ſi Remp. hanc ueſtram in poſtremis minimè cenſeri, optimæ temperationis gratia, deſideratis: ſi Lucenſem populum, apud orbis terrarum Dominos, pro noſtra omnium conſeruatione, gratioſum eſſe non uulgari commendatione exoptatis: ſi non ſolùm præſenti, uerùm multò magis etiam futuræ patriæ ueſtræ gloria, præ

ſtantes animi ueſtri commouentur: ſi quod ſimul honeſtum, quod glorioſum, quod utile eſt, illud ante alia omnia poſitum, et collocatũ habetis: ſi fœlicitatis quicquid eſſe poteſt in hoc uitæ curſu, id omne, uobis, ciuibus, poſteriſq; ueſtris, & uniuerſæ Reip. à Dijs donari, in præcipuis ueſtris optatis eſt: ſi deniq; æterna illa gaudia ſolis Chriſtiani nominis bonis uiris, credita, & ſperata, expetitis, & expectatis; ut detis adoleſcẽtiæ hoc meæ, ſi audacius; amori, quo patriã proſequor, ſi ardẽtius; ſtudio, quo optimis diſciplinis addictus ſum, ſi acrius, ſi miſerabiliter, ac ſummis precibus à uobis contendam, uel (ſi conceſſuri eſtis) admonuero etiam; nequãdo à noua hac de literis, et optima ueſtra ſentẽtia diſcedatis: ne ſtudioſorũ, qui ſine ueſtra liberalitate optatũ finem cõtingere nequeũt, uoces, petitiones, preces explodatis: ne paruo precio magnam gloriã, ſummam beneuolentiam, maximam gratiam, ueſtris huiuſmodi beneficijs reportandã contemnatis: ne quorundam nefarios, & impios ſermones audiatis; ſed exploſos ex omnibus ciuium colloquiis, & ciuitate prorſus eijciatis, qui quodam literarum optimarum odio, inde profecto, quòd ingenio ipſi hebeti, & agreſti, maloq; præditi, omniumq; imperitiſſimi, doctorũ, atq; artibus bonis eruditorum conſpectum ferre non poſſunt: doctrinas conuicijs inſectantur, in contẽptionem adducere conantur, pulcherrima ipſarum nomina inuertunt; doctos homines in inuidiam trahunt, diſſidia, & inimicitias inter eos continenter ſerunt, omnium generum iniurijs afficiunt: tum uerò

pueros quoſq;,nullo habito delectu, nullo ingenij facto periculo,in piſtrinum aliquod,cùm primùm uocem mittere cœperunt,turpis,& præproperi lucelli cauſa,detrudendos pronũciant.Quorum plurimi poſt modum adulti, nec piſtrino quidem indigni(quippe qui nullis,neq; bonorum morum,neq; literarum præſidijs adiuuentur)ad unum feritatis,& inſignis imperitiæ patrociniũ,laudabile ſcilicet,ac longè tutiſsimũ, cõfugiũt,ut literas temerè damnẽt,impudenter irrideant:eruditos homines grauiter inſectentur, ſtudioſos turpiſsimè illudant,omnibus bonis artibus (quantumcunq; poſſunt)detrahant. Quæ malefacta quãquam ſunt ijs ipſis,qui his ſceleribus conſtringuntur, & eius generis hominibus tãtùm dedecori(literatis enim laudi fermè aſcribitur, quòd ſtulti ipſis obloquãtur) illos tamen,quòd os impurum ſceleratis,uocibus contaminare non pudeat,turpitudo ulla iccirco ſequi nõ uidetur,quoniam nullis,aut uerbis,aut rebus quàmlibet turpiſsimis iſti homunculi abſtinere, aut erubeſcere didicerunt. Hac una diſciplina (ne omnino indociles eos prædicem) eorum ingenijs accommodata aſſueuerunt. Qui ſiquando, uel ad exteras gentes profecti,uel ætate prouecti, uel ſuo magno malo prioribus opiniònibus defecti, uel à bonis demum deſpecti, uel doctorum hominum uirtute, & honoribus perſpectis deuicti, errores ſuos grauiſsimos agnouerint, ſtultiſsimæ quidem opinionis pœnitentia tacitos duci, nemini dubium eſſe debet: Sed ingenij tamen improbitate,naturæ malitia,prauæ conſuetudinis habitu,ne ſi

bi leuiores eſſe uideantur, ſi malum animi ſui ſenſum in optimum commutaſſe fateantur: contra ipſius conſcientiæ morſus, in literis, literatiſq; inſectandis, uolũtate, & electione, eoſdem perſiſtere uidemus. Ex quo *efficitur, ut deterrimum uitiorum omnium ignorantia, deterrimos aliquos omnium hominum patronos ſemper inueniat.* O *ſceleſtos, ò facinoroſos, ò infandos, ò uita indignos homines illos, ſiqui ſunt usq̃ (qui tamen ſemper aliqui ſunt) qui non modò ipſi tetris diſciplinarum omnium ignorãtiæ tenebris circumfuſi, à pulcherrimis doctrinis (ſiderum infelici aſpectu) refugerunt, ſed etiam easdem contemnere non uerentur. Atq; eorum quidem inſcientiæ, rudi, craſſoq; ingenio, hoc fortè nonnullis concedendum uideretur, ſed quòd etiam eãdem inſcientiam, literarumq; ignorationem laudent, literatos homines contumelioſè appellẽt, & inſectenter, quis omnino ferret? quis audire poſſit? Quis huic ſiue naturæ, ſiue conſuetudinis uitio, ſcelus, flagitium, nequitiam, coniuncta eſſe inficietur?* Q*uis bonus hæc non abhorreat? non abhominetur? aduerſus hæc non exardeſcat?* Neq; *enim ulla eſt peſtis hominum generi infeſtior: nulla inimicitior lues: nulla maior pernicies ignoratione, & inſcitia.* De *qua illa extat ſapientiſſimorũ hominum recepta ab omnibus ſententia, qua nec uerior ulla eſt, nec pulchrior, nec quæ magis in omni oratione repeti & laudari debeat.* Om*ne enim bonum à ſcientia proficiſci, omne malum ab inſcientia creari, præclarè illi teſtati ſunt. Quæ ſi, ut ſunt, ita uera eſſe fateamur, quæ nec inficia.*

ri poſſumus,uidete iam uos,quid cõtra illos ſtatuere neceſſe ſit, quo digni ſint nomine, qui bonas diſciplinas,& artes,earumq́; ſtudia, & amatores contemnunt,aut etiam uituperant;quo illi,qui nullam earum cognitionem,nullum guſtum,neq; habent,neq; requirunt. Quare totus hic locus,de quo agitur,ſic concludendus eſt;eam eſſe Remp. felicißimam, ubi maxima huic ſententiæ fides habeatur:eum populum beatißimum,qui quia eius ueritatem perſuaſam habeat, præclaras omnes facultates ſtudioſè ſuscipit,& ſuſpicit: nimirum,quòd hic ratione,& uirtute regatur: Eam ciuitatem miſerrimam futuram:illud hominum conſilium erumnoſißimum,in quo(pro eo quòd hæc ſapientium uirorum pronunciata ludibrio habentur) optimæ disciplinæ deſpiciuntur, & deſeruntur: nempe quòd hi fortunæ poteſtati ſubiecti ſint;cupiditatũ omnium imperio ducantur. O præclaram,ò rerum omnium excellentißimam,ò diuinam,ſcientiam illam uniuerſam,quæ nos primò à beſtiis ſegregatos, hominis nomine dignos efficit;mox intimo,& altißimo domicilio receptis diuinã beatitudinem impartitur. Quãtò enim magis animus noſter,diſcendo, cõtemplando, intelligẽdo progreditur,tantò altius tollitur,atq; eo, quod in ipſo graue eſt:ac terrenũ, leuatus, ita uiget, ut concretum, & craſſum quidquid habet, paulatim exuat;cœleſtem,diuinamq́; naturam concipiat,et aſſimat. Qua nulla cogitari poteſt maior iucunditas; nullus præſtantior,nullus dulcior,ſcientiæ,& ſapientiæ fructus deſiderari. Sed quoniam quæ longè maio

ra,& multò excelſiora ſunt,quàm debeant ullis ora-
tionis anguſtijs concludi,ulla dictionis,aut eruditio-
nis inopia,et humilitate tractari:ea,niſi tanta eloquē
tia,tanta doctrina,q̄tam merita ſunt,explicētur, atq;
ita ante oculos proponantur,ut rerum excellētia uer
bis adæquetur,aut , ſi fieri poterit,illuſtrior etiā red
datur,magna oratoris culpa id fieri uidetur: qui te-
nebras præclaræ,& pulcherrimæ rei ſua oratione of
fundat:iure ego uerens,ne illud iam mihi in tanta hac
re eueniat,de qua omnium præclariſsima,& ſplendi-
diſsima ad dicendum modò ingreſſus fueram:dum uni
uerſæ rerum ſcientiæ honeſtiſsimam illam,& præſtā
tiſsimam ſpēm,& formam,quam qui intuentur,& cō
plectuntur,ij ſoli ſapientes exiſtunt,magnum nimis o-
pus,nec meo ingenio par,ita demonſtrare,& effinge
re uerbis poſſe ſpero,& confido,ut quæ eius eſt pro-
pria uis,& natura,ad ſui amorē uos alliciat,& inflā
met;uela iam contraham;ſatis me præſtitiſſe arbitra-
tus,quòd ſæpe,ac ſæpius ad hæc ſtudia,quæ digna ſunt
gratia complectenda , uos cohortatus fuerim; id uos
rogarim,& obſecrarim;id precibus,lachrimis,obte-
ſtationibus contenderim. Maximum uerò illud,ut his
q̄ta maxima opus eſt charitate animi ueſtri iū gātur,
tum etiā à Dijs petam : cuius enim optimæ ſententiæ
auctores ipſos uobis optimos fuiſſe profeſſus ſum,eius
perpetuos,& acerrimos defenſores ab ijſdem conſti-
tui expoſcendum cenſeo.Ea igitur lege his ſtudijs lau
dādis ego hîc finem imponam,ne uos ijſdem amādis,
& ornādis ullos uſq̄ terminos conſtituatis.

Primus

ANNIBAL.

PRIMVS in auſonios obiectas iſſe per alpes
Dicor: & æthereas non timuiſſe minas
Ante ego q̃ Italiam, romanaq; ſign i uiderem,
Cum duris ſcopulis, & Ioue bella gero.
Cui non obſtiterint alpes, non Iuppiter hoſtis
Vicerit, auſonij perdomuêre Duces.

Idem dum à Scipione ſuperatur.

Herculei ſocius decoris, quo rupit in ima
Altius auſoniæ uiſcera nulla manus:
Per cœlum libycis referat qui gentibus orbem,
Exuperans uni uix iuga uiſa Deo;
Dum caderet pubes italis ſpectata ruinis,
Talem indignanti protulit ore ſonum:
Quis neget armatum me maieſtate perenni?
Eripere arma poteſt hæc mihi nulla dies.
Annibali ſat nomen erit, quo terreat hoſtes,
Et dum me noris uiuere, Roma time.

De eodem obſidente Romam.

Ne ſua conſceleret ſpectando lumina phæbus;
Nubilus hic, inquit, ſit ſine luce dies.
Pœnus ait: miles clypeis age pelle tenebras,
Terribiliq; duplex uſus in ære fuit.

K

Tunc uigil Iliacas tutaris Iuppiter arces:
Vix tamen, & tanti ſunt tua tela pater.

SCIPIO AFRICANVS.

Lælium amicitia; at uictos clementia; uirtus
Annibalem, ſed nec ſolum habet Annibalem:
Nam me etiam ut uinco, uirtus Carthaginem utranq;
Teſtem habet: at pietas patrem habet, & patriam.

COCLES.

Solus ad anguſti Cocles diſcrimina pontis,
Cùm daret ingentem grata ruina ſonum;
Non grauis unus, ait, patriæ iactura: reliqui
Non reditum ipſe mihi, nec tibi hethruſce uiam.
Et dum ſe iaceret rapidas animoſus in undas,
Per medias uictor nauit onuſtus aquas.
Non undæ, hoſteſue obſtiterunt, quin arma referret,
Arma quibus ſeruat ſe patriæ, & patriam.
Quid contemptorem ferri miraris, & undæ?
Maiores animas hac tibi Roma dabo.

CATO IVNIOR.

Fors mecum luctata diu eſt. ſpectacula noſtræ
Virtutis poterant uix ſatiare Deos.
Libertas ſeruata manu eſt mihi, Roma: nec eſſe

Libera non ſaluo Roma Catone potes,
At qui nam intercam; cui cedunt Cæſaris arma?
Non perdit: ſed me conſecrat iſta manus.

HORATIVS TRIGEMINVS, ET Q. FAB. MAX.

Seruaſſe hanc curſu memoratur Oratius urbem;
At Fabius ſola reſtituiſſe mora.
Tam bene cunctari qui poßit non erit ullus:
Tam bene qui poßit currere, nullus erit.

TRES DECII.

Tres Decij Romæ naſcuntur numina naſci,
Iure illos alio non uoluêre loco.
Sed dum ſe patriæ ſic deuouêre, uidentur
Nec melius naſci, nec potuiſſe mori.

FVL. FLACCVS.

Si renuo inuidiam parituros Flaccus honores;
Quod caret inuidia non renuo exilium;
Dum me, quod renuo, fateaaris Roma mereri:
Et quod non renuo, me meruiſſe neges.

M. MARCELLVS.

Virtutem dixiſſe reor, quum templa dicares

K ij

Pro me, Marcelli numina Roma cole.

IDEM.

Qui potuit patrium ſpolijs ornare Tonantem:
Quiq; Syracoſia uictor ab arce redit:
Quem ſua per gladios euexit ad æthera uirtus:
Vidit & hic prima punica terga fugâ.
Quòd ſi Marcellum Carthaginis ora tuliſſet,
Illa daret noſtro nunc ſua iura Ioui.

P. ET CN. SCIPIONES

Phœbe cadens, cur ſcipiadas tecum trahis? an uis
A nullo nobis ſole redire dicm?

PAPYRIVS CVRSOR.

Dum tibi tam celeres palmæ rediere, uideris
Plus manibus Curſor currere, quàm pedibus.

BRVTVS SENIOR.

Natorum cæde orbaſti te nomine patris;
Cerneret ut uerum te tua Roma patrem.
Et ſemel optaſti pulchram per uulnera mortem:
Vt nullo poſſes tempore Brute mori.

COSSVS.

Iure ait ingenti rapior ardore duelli:
Et patria immemorem me facit eſſe mei.
Nam ſi uincendum eſt: uel ſi mihi forte cadendum;
Victurus melius, nec moriturus ero.

REGVLVS.

Cum bello eximius ſis Regule; Regule non eſt
Clara magis bello, quam tua dextra fide

FABIORVM PIETAS.

Iure, ſuis & Fabios inter miracula ponat;
Namq; alios fratres urbs dare noſtra ſolet.

SERTORIVS.

Dicere dardanijs poterat nutritus in armis,
Dura per Heſperium dum quærit arma ſolum:
Armaui inuictum me maieſtate perenni,
Nil timet hæc miles dum gerit arma manus.
Compulit hæc toties fugientem in caſtra Metellum:
Hæc toties Magni terga uidenda dedit.
Illuſtrare alij poterunt per funera uitam;
Vita mihi uitam poſt mea fata dabit.

LVCVLLVS.

Vt ſe barbaricis reuocari ſenſit ab armis
Lucullus, tales ſoluit ab ore ſonos.
Nil ſupereſt, quod agas; quid n. tibi Magne relictũ eſt?
Crede tibi hoc Pontum dicere, & Armeniam.
Quos titulos mihi Roma tuus dare debuit hoſtis,
Ipſa negas: quod non uis dare, fama dabit.

POMPEIVS.

Noſtra trophæa orbem implerunt: & nerea tutas
Per magnum ſoli fecimus ire rates.
Cætera confeci: ciuilia bella relicta
Sunt tantùm alterius conficienda manu.
Plus quenq̃ fas non eſſet, ſcelere datur ullum
Fortunæ metam præterijſſe meæ.

CATO SENIOR.

Roma ſibi hic cenſor fuit ante: nec ultima ciuis
Cura tui eſt, mores compoſuiſſe ſuos.

ROMVLVS.

Dic, cur non dederit tumulum tibi Roma quirine?
Dignus eras cœlo Romule, non tumulo.

M. CVRTIVS.

Non modo uos ſuperi teſtes pietatis habebo
Dixit. & impulſo præcipitatur equo.
Quàm bene deuouit ſpecioſos Curtius annos.
Pulchrior & quando mors miſeranda uenit.

ALEX. MAGNVS.

Teſtatur ſe uno rerum natura minorem:
Nam quod plus poſſet uincere non habuit.
Paruus Alexandro fuit orbis: ſed fuit orbi
Magnus Alexander, ipſe ſibi exiguus:
Queſtus, quòd citius quàm miles, terra deeſſet,
Quodq; ſuum oceanus clauderet imperium.
Omnia uiciſſet: ſed non tamen omnia uicit
Ille, ubi ſe ſolum uincere non potuit.

FABRITIVS.

Fabritij quod pauperies ditiſsima nollet,
Plus eſt, quàm quicquid tu dare Pyrrhe potes.

IDEM.

Nolo opibus uinci, nec uincere Pyrrhe, ueneno.
Nemo dabit plus me Pyrrhe, minuſue uolet.

PAVLVS AEMILIVS TRIVMphans; & Fabius renuens triumphum.

Fraterna Fabius renuit nece. fata triumphus
Inter natorum contigit Aemilio.
Fortunam hic: pietas hunc uicit. tam bene uincit
Tam bene qui poſsit uincere, nullus erit.

Liberalitas Cæſ. in militem.

Plus das, q̃ ipſe petã: & ſemper uis magna petantur.
Vt mea ſint animo uota minora tuo.

MENENIVS AGRIPPA.

Communi Agrippæ decorant dum funera ſumptu:
Iſta loquuturus, ſi potuiſſet, erat.
Paupertas noſtræ fuerat gratiſsima uitæ:
Cur mihi mors pompa luxurioſa noua?
Viuus eram minimo contentus: poſt ſua fata
Non etiam minimo mortuus ullus eget.
Paupertas poſt fata uigens ditiſsima res eſt,
Sola ſuas nullo tempore perdit opes.

CINCINNATVS.

Quintius aſpiceret ſi tam diffuſa ſepulchra,
Diceret: ipſe minor noſter agellus erat.

Ille

Ille tamen mecum uxorem & pignora alebat.
 At moles unum uix tegit iſta hominem.
Reſpondere meo certabant rura labori,
 Iſta tamen ſecum mortua terra iacet.
Quantum, dum uixit, patriæ nocuiſſe putatis
 Iſtum; quando etiam poſt ſua fata nocet?

DE MARTE, ET MINERVA.

Cùm ſine patre datus Mars: & ſine matre Minerua
 Plus ne boni natum creditis: an ne mali?

DE M. ANT. COLVMNA, QVVM ESSET PVER.

Hermes, dum loqueris: dum rides Marce, Cupido es:
 Marsq́; es, ubi arma capis: tresq́; refers ſuperos.
Mars, Amor, Hermes, proſternis, ſuccendis, inundas,
 Hoſtem, erycinam, aures, ui, facie, eloquio.

CATVLLVS.

Fare Catulle. quis eſt qui me uult? præ omnibus unũ
 Qui te admiratur, qui tibi nota petit.
Quid petit hic? Charitũ tumulũ. qui nã ẽ mihi notus?
 Qui ignotus? tecum ſi ortæ etiam pereunt.

DEMOSTHENES.

L

Quid dat præcipuum calamus Demoſthenis? an ne
Scripta uiri eximii? ſiue necem egregiam?
Vtraq; res digna eſt iſta ſe liberat: illis
Libertatem almæ quæſierat patriæ
Erras, ſi hunc perijſſe putas: neq; enim exijt unquam
Quod non ſit dignum uiuere ab hoc calamo.

M. CICERO.

Quod maius lumen, Demoſthenis, an Ciceronis?
Hic nullum: paucos ille pares habuit.
Hic decus: ille auram præfert. hic fortis: at ille
Degener. eloquium hic donat: at ille locat.
Profuit aßidue hic: nonnunq̃ ille obfuit. illi
In miſeros: ſtudium huic dicere pro miſeris.
Immo cum Spartis Thebas & congere Athenas.
Quod mentita ſibi eſt Græcia, habet Cicero.

DE FVSCO.

Candida ſunt niuei concreta coagula lactis:
Candida ſunt oculis uiſa liguſtra meis:
Candida dona eboris nigro mittuntur ab Indo:
Candida ſunt parijs marmora cæſa iugis:
Candida pluma tuos Cythereia ueſtit olores:
Candida Sithonia eſt terra refuſa niue.
Candidior Fuſcus geminorum eſt error amorum
Lacte, liguſtro, ebore, marmore, olore, niue.

Proſcribi niſi ab hoc Cicero: & niſi percuti ab illo
Poſſet: par facinus hic iubet, ille facit.
Carnificem inuenit tam ſæuum Antonius: ipſe
Vix illa poſſet ſæuior eſſe manu.
Non illum uellet ſe ſeruauiſſe patronus:
Illum nec uellet ſe genuiſſe pater.

PLINIVS.

Plinius, & Titan illuſtrant omnia lucem
Iſte dedit terris: artibus ille dedit.
Verus uterq; pater. te propter maxime lari,
Iure ſe ait ſoles orbis habere duos.

Laus fabri ſuper Ven. & Marte nudo

Expreſſa eſt cum Marte Venus ſic Mentoris ære;
Lemnius ut ueros crederet eſſe Deos.
Implicuitq; ambos: totoq; uocauit olympo
Numina, ſpectatum ut furta iterum ueniant.
Cum quibus ut Mars uerus adeſt, & uera Dione;
Decipit ars oculos, ambiguosq; facit.
Nullus fallenti Venerem dignoſcit ab ære.
Diſcrimen nullum Martis, & æris erat.
Lemnius arte ſua deceptus, ut acta recenſet,
Tunc, ait, eluſus ſic forem: & ingemuit.

LAVS PICTORIS.

Vulcanus nudam Imperiam qeum uidit Apellis:
Aſpexit nudam quando,ait,hic Venerem?

LAVS AENEAE, ET PICTORIS

Dum pictum Aeneam ſpectat Venus;infit,Apelles
Nulla tuum ars ſuperat:nulla meum pietas.

LAVS PICTORIS.

Poſſe loqui credas: & ſunt ſua ſenſa tabellæ;
Nunc gemino geminas una agit ore faces.
Cætera ſi formæ reſpondent; fœmina naſci,
Aut Dea non pingi pulchrior ulla poteſt.

PETRO GRAVINAE.

Quod caſa non uidear, ſed regia,cauſa Grauina es.
Tantus in anguſta non potes eſſe caſa.

PARTHENIVS.

A ſe ſeruatum Martisq;, ſoriq; procella
Dum uidet in ſe enſem ſtringere Parthenius:
Et dextram,& linguam illi offert: atq; infit, utrãuis
Abſcinde.hæc pro te pugnat,& hæc loquitur.

EPIT. PAVLAE

Seruatura uirum, uenienti ſe obijcit haſtæ:
Et non fœmineo pectore tela tulit.
Dum traiecta, manu trahit haſtã Paula; ſequuta eſt
Haſta manum, haſtam anima læta ſua ipſa nece eſt.
Fœlix; quæ fidei ſic ſpectatore marito,
Occidis: & uitæ plus paritura paris.

EPIT. REGIS HISPANIARVM.

Fortunæ domitor: mundiq́; examen: ut eſſem
Inuictus factis; fatum etiam ſupero.

EPIT. BEROALDI.

Triſtibus ornaſſet numeris tua funera Muſa;
Ni tecum ipſa etiam Muſa ſepulta foret.

EPIT. SYLVIAE.

Sunt Charitũ hi tumuli? Charitũ ſunt. nec tamẽ hic ẽ
Sola charis. ſed eſt ipſa ſepulta Venus.
Sunt tumuli hi Veneris? Veneris ſunt. nec tamẽ hic eſt
Sola Venus. ſed & hic ipſa Minerua iacet.
Hic ne Minerua iacet? iacet hic. ſed non tamẽ illa hic
Sola iacet. ſed & hic caſta Diana ſita eſt.
Ergo etiam periere Deæ? dubitas ne periſſe
Ipſe Deas; potuit Syluia ſi ipſa mori?

ra,& multò excelſiora ſunt,quàm debeant ullis ora-
tionis anguſtijs concludi,ulla dictionis,aut eruditio-
nis inopia,et humilitate tractari:ea,niſi tanta eloquē
tia,tanta doctrina,q̃tam merita ſunt,explicētur, atq;
ita ante oculos proponantur,ut rerum excellētia uer
bis adæquctur,aut , ſi fieri poterit,illuſtrior etiā red
datur,magna oratoris culpa id fieri uidetur: qui te-
nebras præclaræ,& pulcherrimæ rei ſua oratione of
fundat:iure ego uerens,ne illud iam mihi in tanta hac
re eueniat,de qua omnium præclarißima,& ſplendi-
dißima ad dicendum modò ingreſſus fueram:dum uni
uerſæ rerum ſcientiæ honeſtißimam illam,& præſtā
tißimam ſpēm,& formam,quam qui intuentur,& cō
plectuntur,ij ſoli ſapientes exiſtunt,magnum nimis o-
pus,nec meo ingenio par,ita demonſtrare,& effinge
re uerbis poſſe ſpero,& confido,ut quæ eius eſt pro-
pria uis,& natura,ad ſui amorē uos alliciat,& inflā
met;uela iam contraham;ſatis me præſtitiſſe arbitra-
tus,quòd ſæpe,ac ſæpius ad hæc ſtudia,qua digna ſunt
gratia complectenda , uos cohortatus fuerim; id uos
rogarim,& obſecrarim;id precibus,lachrimis,obte-
ſtationibus contenderim. Maximum uerò illud,ut his
q̃ta maxima opus eſt charitate animi ueſtri iūgātur,
tum etiā à Dijs petam : cuius enim optimæ ſententiæ
auctores ipſos uobis optimos fuiſſe profeſſus ſum,eius
perpetuos,& acerrimos defenſores ab ijſdem conſti-
tui expoſcendum cenſeo. Ea igitur lege his ſtudijs lau
dādis ego hîc finem imponam,ne uos ijſdem amādis,
& ornādis ullos uſq̃ terminos conſtituatis.

Primus

PRIMVS in auſonios obiectas iſſe per alpes
Dicor: & æthereas non timuiſſe minas:
Ante ego q̃ Italiam, romanaq; ſigna uiderem,
Cum duris ſcopulis, & Ioue bella gero.
Cui non obſtiterint alpes, non Iuppiter hoſtis
Vicerit, auſonij perdomuère Duces.

Idem dum à Scipione ſuperatur.

Herculei ſocius decoris, quo rupit in ima
Altius auſoniæ uiſcera nulla manus:
Per cœlum libycis reſerat qui gentibus orbem,
Exuperans uni uix iuga uiſa Deo;
Dum caderet pubes italis ſpectata ruinis,
Talem indignanti protulit ore ſonum:
Quis neget armatum me maieſtate perenni?
Eripere arma poteſt hæc mihi nulla dies.
Annibali ſat nomen erit, quo terreat hoſtes,
Et dum me noris uiuere, Roma time.

De eodem obſidente Romam.

Ne ſua conſceleret ſpectando lumina phæbus,
Nubilus hic, inquit, ſit ſine luce dies.
Pœnus ait: miles clypeis age pelle tenebras,
Terribiliq; duplex uſus in ære fuit.

K

Tunc uigil Iliacas tutaris Iuppiter arces:
Vix tamen, & tanti ſunt tua tela pater.

SCIPIO AFRICANVS.

Lælium amicitia; at uictos clementia; uirtus
Annibalem, ſed nec ſolum habet Annibalem:
Nam me etiam ut uinco, uirtus Carthaginem utranq;
Teſtem habet: at pietas patrem habet, & patriam.

COCLES.

Solus ad anguſti Cocles diſcrimina pontis,
Cùm daret ingentem grata ruina ſonum;
Non grauis unus, ait, patriæ iactura: reliqui
Non reditum ipſe mihi, nec tibi hethruſce uiam.
Et dum ſe iaceret rapidas animoſus in undas,
Per medias uictor nauit onuſtus aquas.
Non undæ, hoſteſue obſtiterunt, quin arma referret,
Arma quibus ſeruat ſe patriæ, & patriam.
Quid contemptorem ferri miraris, & undæ?
Maiores animas hac tibi Roma dabo.

CATO IVNIOR.

Fors mecum luctata diu eſt. ſpectacula noſtræ
Virtutis poterant uix ſatiare Deos.
Libertas ſeruata manu eſt mihi, Roma: nec eſſe

Libera non ſaluo Roma Catone potes,
At qui nam interеam;cui cedunt Cæſaris arma?
Non perdit: ſed me conſecrat iſta manus.

HORATIVS TRIGEMINVS,
ET Q. FAB. MAX.

Seruaſſe hanc curſu memoratur Oratius urbem;
At Fabius ſola reſtituiſſe mora.
Tam bene cunctari qui poßit non erit ullus:
Tam bene qui poßit currere,nullus erit.

TRES DECII.

Tres Decij Romæ naſcuntur.numina naſci
Iure illos alio non uoluêre loco.
Sed dum ſe patriæ ſic deuouêre,uidentur
Nec melius naſci,nec potuiſſe mori.

FVL. FLACCVS.

Si renuo inuidiam parituros Flaccus honores;
Quod caret inuidia non renuo exilium;
Dum me,quod renuo, fateaкis Roma mereri:
Et quod non renuo,me meruiſſe neges.

.M. MARCELLVS.

Virtutem dixiſſe reor,quum templa dicares

Pro me, Marcelli numina Roma cole.

IDEM.

Qui potuit patrium ſpolijs ornare Tonantem:
Quiq; Syracoſia uictor ab arce redit:
Quem ſua per gladios euexit ad æthera uirtus:
Vidit & hic prima punica terga fugâ.
Quòd ſi Marcellum Carthaginis ora tuliſſet,
Illa daret noſtro nunc ſua iura Ioui.

P. ET CN. SCIPIONES

Phœbe cadens, cur ſcipiadas tecum trahis? an uis
A nullo nobis ſole redire diem?

PAPYRIVS CVRSOR.

Dum tibi tam celeres palmæ rediere, uideris
Plus manibus Curſor currere, quàm pedibus.

BRVTVS SENIOR.

Natorum cæde orbaſti te nomine patris;
Cerneret ut uerum te tua Roma patrem.
Et ſemel optaſti pulchram per uulnera mortem:
Vt nullo poſſes tempore Brute mori.

Iure ait ingenti rapior ardore duelli:
Et patria immemorem me facit eſſe mei.
Nam ſi uincendum eſt: uel ſi mihi forte cadendum;
Victurus melius, nec moriturus ero.

REGVLVS.

Cùm bello eximius ſis Regule; Regule non eſt
Clara magis bello, quàm tua dextra fide

FABIORVM PIETAS.

Iure, ſua & Fabios inter miracula ponat;
Namq; alios fratres urbs dare noſtra ſolet.

SERTORIVS.

Dicere dardaniis poterat nutritus in armis,
Dura per Heſperium dum quærit arma ſolum:
Armaui inuictum me maieſtate perenni,
Nil timet hæc miles dum gerit arma manus.
Compulit hæc toties fugientem in caſtra Metellum:
Hæc toties Magni terga uidenda dedit.
Illuſtrare alij poterunt per funera uitam;
Vita mihi uitam poſt mea fata dabit.

LVCVLLVS.

Vt ſe barbaricis reuocari ſenſit ab armis
Lucullus, tales ſoluit ab ore ſonos.
Nil ſupereſt, quod agas; quid n. tibi Magne relictū eſt?
Crede tibi hoc Pontum dicere, ex Armeniam.
Quos titulos mihi Roma tuus dare debuit hoſtis,
Ipſa negas: quod non uis dare, fama dabit.

POMPEIVS.

Noſtra trophæa orbem implerunt: & nerea tutas
Per magnum ſoli fecimus ire rates.
Cætera confeci, ciuilia bella relicta
Sunt tantum alterius conficienda manu.
Plus quenq̃ fas non eſſet. ſceleri datur ullum
Fortunæ metam præteriiſſe meæ.

CATO SENIOR.

Roma ſibi hic cenſor fuit ante: nec ultima ciuis
Cura tui eſt, mores compoſuiſſe ſuos.

ROMVLVS.

Dic; cur non dederit tumulum tibi Roma quirine?
Dignus eras cœlo Romule, non tumulo.

M. CVRTIVS.

Non modo uos ſuperi teſtes pietatis habebo
Dixit. & impulſo præcipitatur equo.
Quàm bene deuouit ſpecioſos Curtius annos.
Pulchrior & quando mors miſeranda uenit.

ALEX. MAGNVS.

Teſtatur ſe uno rerum natura minorem:
Nam quod plus poſſet uincere non habuit.
Paruus Alexandro fuit orbis: ſed fuit orbi
Magnus Alexander, ipſe ſibi exiguus:
Quæſtus, quòd citius quàm miles, terra deeſſet,
Quodq; ſuum oceanus clauderet imperium.
Omnia uiciſſet: ſed non tamen omnia uicit
Ille, ubi ſe ſolum uincere non potuit.

FABRITIVS.

Fabritij quod pauperies ditiſsima nollet,
Plus eſt, quàm quicquid tu dare Pyrrhe potes.

IDEM.

Nolo opibus uinci, nec uincere Pyrrhe, ueneno.
Nemo dabit plus me Pyrrhe, minuſue uolet.

PAVLVS AEMILIVS TRIVMphans; & Fabius renuens triumphum.

Fraterna Fabius renuit nece. fata triumphus
Inter natorum contigit Aemilio.
Fortunam hic: pietas hunc uicit. tam bene uincis
Tam bene qui poſsit uincere, nullus erit.

Liberalitas Cæſ. in militem.

Plus das, q̃ ipſe petã: & ſemper uis magna petantur.
Vt mea ſint animo uota minora tuo.

MENENIVS AGRIPPA.

Communi Agrippæ decorant dum funera ſumptu,
Iſta loquuturus, ſi potuiſſet, erat.
Paupertas noſtræ fuerat gratiſsima uitæ:
Cur mihi mors pompa luxurioſa noua?
Viuus eram minimo contentus: poſt ſua fata
Non etiam minimo mortuus ullus eget.
Paupertas poſt fata uigens ditiſsima res eſt,
Sola ſuas nullo tempore perdit opes.

CINCINNATVS.

Quintius aſpiceret ſi tam diffuſa ſepulchra,
Diceret: ipſe minor noſter agellus erat.

Ille

Ille tamen mecum uxorem & pignora alebat.
At moles unum uix tegit iſta hominem.
Reſpondere meo certabant rura labori,
Iſta tamen ſecum mortua terra iacet.
Quantum, dum uixit, patriæ nocuiſſe putatis
Iſtum; quando etiam poſt ſua fata nocet?

DE MARTE, ET MINERVA.

Cùm ſine patre datus Mars: & ſine matre Minerua
Plus ne boni natum creditis: an ne mali?

DE M. ANT. COLVMNA, QVVM ESSET PVER.

Hermes, dum loqueris: dum rides Marce, Cupido es:
Marsq́; es, ubi arma capis: tresq́; refers ſuperos.
Mars, Amor, Hermes, proſternis, ſuccendis, inundas,
Hoſtem, erycinam, aures, ui, facie, eloquio.

CATVLLVS.

Fare Catulle. quis eſt qui me uult? præ omnibus unũ
Qui te admiratur, qui tibi nota petit.
Quid petit hic? Chartũ tumulũ. qui nã ẽ mihi notus?
Qui ignotus? tecum ſi ortæ etiam pereunt.

DEMOSTHENES.

L

Quid dat præcipuum calamus Demoſthenis? an ña
Scripta uiri eximii? ſiue necem egregiam?
Vtraq; res digna eſt iſta ſe liberat: illis
Libertatem almæ quæſierat patriæ
Erras, ſi hunc perijſſe putas: neq; enim exijt unquam
Quod non ſit dignum uiuere ab hoc calamo.

M. CICERO.

Quod maius lumen, Demoſthenis, an Ciceronis?
Hic nullum: paucos ille pares habuit.
Hic decus: ille aurum præfert. hic fortis: at ille
Degener. eloquium hic donat: at ille locat.
Profuit aßidue hic: nonnunq̃ ille obfuit. illi
In miſeros: ſtudium huic dicere pro miſeris.
Immo cum Spartis Thebas & congere Athenas.
Quod mentita ſibi eſt Græcia, habet Cicero.

DE FVSCO.

Candida ſunt niuei concreta coagula lactis:
Candida ſunt oculis uiſa liguſtra meis:
Candida dona eboris nigro mittuntur ab Indo:
Candida ſunt parijs marmora cæſa iugis:
Candida pluma tuos Cythereia ueſtit olores:
Candida Sithonia eſt terra refuſa niue.
Candidior Fuſcus geminorum eſt error amorum
Lacte, liguſtro, ebore, marmore, olore, niue.

Proſcribi niſi ab hoc Cicero: & niſi percuti ab illo
Poſſet: par facinus hic iubet, ille facit.
Carnificem inuenit tam ſæuum Antonius: ipſe
Vix illa poſſet ſæuior eſſe manu.
Non illum uellet ſe ſeruauiſſe patronus:
Illum nec uellet ſe genuiſſe pater.

PLINIVS.

Plinius, & Titan illuſtrant omnia. lucem
Iſte dedit terris: artibus ille dedit.
Verus uterq; pater. te propter maxime lari,
Iure ſe ait ſoles orbis habere duos.

Laus fabri ſuper Ven. & Marte nudo

Expreſſa eſt cum Marte Venus ſic Mentoris ære;
Lemnius ut ueros crederet eſſe Deos.
Implicuitq; ambos: totoq; uocauit olympo
Numina, ſpectatum ut furta iterum ueniant.
Cum quibus ut Mars uerus adeſt, & uera Dione;
Decipit ars oculos, ambiguosq; facit.
Nullus fallenti Venerem dignoſcit ab ære.
Diſcrimen nullum Martis, & æris erat.
Lemnius arte ſua deceptus, ut acta recenſet,
Tunc, ait, eluſus ſic forem: & ingemuit.

LAVS PICTORIS.

Vulcanus nudam Imperiam quum uidit Apellis:
Aſpexit nudam quando, ait, hic Venerem?

LAVS AENEAE, ET PICTORIS

Dum pictum Aeneam ſpectat Venus; inſit, Apelles
Nulla tuum ars ſuperat: nulla meum pietas.

LAVS PICTORIS.

Poſſe loqui credas: & ſunt ſua ſenſa tabellæ;
Nunc gemino geminas una agit ore faces.
Cætera ſi formæ reſpondent; fœmina naſci,
Aut Dea non pingi pulchrior ulla poteſt.

PETRO GRAVINAE.

Quod caſa non uidear, ſed regia, cauſa Grauina es.
Tantus in anguſta non potes eſſe caſa.

PARTHENIVS.

A ſe ſeruatum Martiſq;, foriq; procella
Dum uidet in ſe enſem ſtringere Parthenius:
Et dextram, & linguam illi offert: atq; inſit, utrāuis
Abſcinde. hæc pro te pugnat, & hæc loquitur.

EPIT. PAVLAE

Seruatura uirum,uenienti ſe obijcit haſtæ:
Et non fœmineo pectore tela tulit.
Dum traiecta,manu trahit haſtã Paula ; ſequuta eſt
Haſta manum,haſtam anima læta ſua ipſa nece eſt.
Fœlix;quæ fidei ſic ſpectatore marito,
Occidis: & uitæ plus paritura paris.

EPIT. REGIS HISPANIARVM.

Fortunæ domitor:mundiq; examen:ut eſſem
Inuictus factis; fatum etiam ſupero.

EPIT. BEROALDI.

Triſtibus ornaſſet numeris tua funera Muſa;
Ni tecum ipſa etiam Muſa ſepulta foret.

EPIT. SYLVIAE.

Sunt Charitũ hi tumuli? Charitũ ſunt. nec tamẽ hic ẽ
Sola charis. ſed eſt ipſa ſepulta Venus.
Sunt tumuli hi Veneris? Veneris ſunt.nec tamẽ hic eſt
Sola Venus. ſed & hic ipſa Minerua iacet.
Hic ne Minerua iacet? iacet hic. ſed non tamẽ illa hic
Sola iacet. ſed & hic caſta Diana ſita eſt.
Ergo etiam periere Deæ? dubitas ne periſſe
Ipſe Deas;potuit Syluia ſi ipſa mori?

EPIT. NIC. COM. PITILIANI DVCIS EXERC. VEN.

Debebit Venetus, uel ſi ruet: & dabit uni
Quod non tam ſero tempore corruerit.
Seu quicquid ſupereſt, ſeruabit; debitor idem
Dicet: ſeruarunt hoc Ducis arma mei.
Siue ſuum Imperium ui proferet; efferet unum hunc,
A quo incrementi cauſa relicta ſui eſt.

EPIT. N.

Fortunam hic, fatumq; domat. non exulat exul.
Nil habet, omnia habens. nec moritur moriens.

DE M. ANT. COL. QVVM SVPERAVIT LIVIANVM.

Sic redit Alcides nemæo tergore onuſtus;
Vt Marcus ſpolijs nunc redit Vrſa tuis.
Natus uterq; Deo ē. pater huic Mars. Iuppiter illi ē.
Vincit: & hoſpitibus pacat uterq; ſolum.
Robore, conſilioq; pares. Deus ille columnas
Erigit. erectas hic onerat ſpolijs.

AD MARIVM.

Surge Mari, ſurgente Deo mirabitur orbis
A gemino geminum ſole uenire diem.

ATTILIVS CAESARIS.

Dum uidet abſciſſæ miles diſpendia dextræ;
Sufficiet bello læua ſuperſtes, ait.
Quam quoq; ut iniectat uirtus animoſa carinæ:
Raptaq; magnanimo eſt altera ſorte pari;
Victor adhuc, hoſtem impellens, ſic intonat ore:
Diſcite quos habeant Cæſaris arma uiros.
Nos freta, nos ferrum, nos uincere poſſumus ignes.
Vincimus abſq; manu: uiuimus abſq; anima.

CAESAR.

Spectat Alexandri picta ut certamina Cæſar;
Aſt ego nondum aliquid geßi, ait illachrimans.
Quod ſi & Alexander ſpectaſſet Cæſaris acta;
Dixiſſet, Perſas uincere pigritia eſt.

CLAVDIVS NERO.

Dum celeres animos celeri pede Claudius æquat;
Mecum age nunc miles utere ait pedibus.
Mox etiam: pedibus quid poſſes uidi ego miles;
Nunc oſtende hoſti quid ualeas manibus.

CORIOLANVS.

Poſtq̃ animam in uacuas effudit Martius auras:

Audijt,& nati triſtia fata parens.
Teſtem,inſit,nate exilium uirtutis habebas:
At teſtem exitium nunc pietatis hàbes.

BRVTVS IVNIOR.

Cæſaris,& Bruti ſacratum ſanguine ferrum,
Officium patriæ præſtit,& domino.
Vna pium cædes oſtendit,& altera fortem.
Non alio Cæſar debuit enſe mori.

CASSIVS.

Proijce te in ferrum miles.iurabitur iſtos
Per cineres.uictus pro patría moreris.
Nil poſt fata refert uolucres pauiſſe. ſacrabis
Plus campi,quo plus dilaceratus eris.
Et quid erit,ueſter metuam quod Caßius,illum
Non metuens,magni qui tremor orbis erat?

HOMERVS.

An Smyrna eſt,quæ te naſcentem excepit Homere?
An ne fuit,uatem quæ tumulauit,Ios?
Altera nomen habet uiole:tenet altera myrrhæ.
Fata tuum his decorant ortum,obitumq; locis.
Quid magis eſt,quod te diuine deceret Homere,
Quàm naſci in myrrha,decidere in uiola?

Virgilius

VIRGILIVS.

Dicite,qui Minci ripas coluiſtis,olores;
Vobiſcum exorta eſt gloria Virgilij?
Dic mihi Parthenope(ſic ſis pulcherrima ſemper)
Virgilius ne tuo decidit in gremio?
Et meruit,cui contigerat naſci inter olores,
Inter Syrenum decubuiſſe choros.

PLATO.

Vt referunt, ſacri incunabula prima Platonis,
Ipſius in labris mellificaſtis apes.
Ni nos deludant oracula Socratis;illi
In ſomnis, cycni uiſus in effigie eſt.
Indicia hæc uolucre,auditor dignus ut eſſet
Socratis,& dignus doctor Ariſtotelis.

ARISTOTELES.

Vno oculo,unum hominē mirum eſt, potuiſſe uidere,
Quicquid cœlum oculis proſpicit innumeris;
Ni tot lumina habet,quot uerba.at fallimur,uni
Ni uerbo innumeros credimus eſſe oculos.
Iure ab Ariſtotele nil cœlum diſtat;uterq;
Dum uidet æternis omnia luminibus.

IVLIA.

Dixiſſet ſic mœſta uiro,ſic mœſta parenti;
Ante faces patriæ ni tumulata foret:
Noſter erit,quisquis referet uictricia ſigna:

Et qui uictus erit, hic quoq; noſter erit.
Sed ſum uel uicto pariter caſura parente,
Iulia: uel uicto ſum moritura uiro.

TVTIA.

Omnia quæ uigili ſemper Dea lumine cernis;
Si mereor; ne me ſic patiare mori.
Tuq; o Tybri, faue, patriæ fidiſſime cuſtos;
Cuius uirginibus numen adeſſe ſolet.
Et cribro ſancti dum ferret fluminis undam;
Cedite, ait, famæ turba prophana meæ.
Cedite. nunc mea uita ullo ne poſſit ab æuo
Extingui, æterno lumen ab igne capit.

VIRGINIA.

Perdere ne poſſet cum libertate pudorem;
Quàm melius cecidit filia Virginij.
Seruat utrunq; cadens: fuerit pulcherrima uirgo;
Non tamen eſt plaga pulchrior illa ſua.
Dicere iure poteſt fugiens diſpendia uitæ:
Plus enecta patri debeo, quàm genita.

CLOELIA.

Si potuit ſacros contemnere Mutius ignes;
Et mihi, ait, ſacræ cur timeantur aquæ?
Dumq; animoſa iacit rapidum ſe Clœlia in amnem;
Quem fugio, eſt hoſtis: quam peto, ait, patria eſt.

PORTIA.

Portia magnanimi poteram poſt fata Catonis
Viuere: debueram non ſupereſſe patri.
Sed me fata tuo ſeruabant Brute dolori.
An dux ad mortem non ſatis unus erat?
Dumq; ſibi ferrum queritur moritura negari;
Hanc ait explorent numina & igne domum.

LVCRETIA.

Dicite; quum melius cadere ante Lucretia poſſet;
Cur potius poſt uim illa mori uoluit?
Crimine ſe abſoluit manus illa, habitura coactæ
Vltorem: & patriæ depoſitura iugum.
Quàm bene contempto ſacrat ſua pectora ferro;
Dum pariter famæ conſulit, & patriæ.

LACAENA *Interficiens Filium.*

Dum ſe, & dum patria indignum ſpartana necaret;
Quærenti, dixit: nunc ego mater ero.
Plus pariet mihi uentre manus. facit iſta parentem;
Quæ mihi, quæ patriæ non peritura parit.

PENTHESILAEA.

Penthesilæa; tuæ ſi uera eſt fama cateruæ;
Optarent tales ſecula noſtra uiros.

EVRYDICE *Bis ob Virum Moriens.*

Nulla ſuos uxor melius iactauit amores.
Nam mori, ut Eurydice, bis bene nulla poteſt.

Et ſi forte mori cuiquam bis poſſe daretur;
Eurydice fieri non tamen ulla uelit.

SVperiora Epigrammata noluimus (ἄδηλα) ut quæ ſequuntur, inſcribere; quoniam ſunt qui dicant eorum q̃plurima eſſe Iacobi Caſænouæ. Nos nequid temere, nihil ualde affirmamus: ſed damus Epigrammata. ἄδηλα

EPIT. FERDI. PISCARII.

Quis iacet hoc gelido ſub marmore? maximus ille
Piſcator, belli gloria, pacis honos.
Nunquid & hic piſces cœpit? non; ergo quid? urbes,
Magnanimos Reges, oppida, Regna, Duces.
Dic quibus hæc cæpit Piſcator retibus? alto
Conſilio, intrepido corde, alacriq; manu.
Qui tantum rapuêre ducẽ? duo nomina, Mars, mors.
Vt raperent quis nam compulit? inuidia.
Cui nocuêre? ſibi, nam uiuit fama ſuperſtes,
Quæ Martem, & mortem uincit, & inuidiam.

DE POMPEIO MAGNO.

Dux Pharia quamuis iaceas inhumatus arena,
Non adeo fati ſæuior ira tui eſt.
Anguſtum fuerat tellus tibi uicta ſepulchrum:
Nec decuit cœlo te niſi Magne tegi.

DE CAROLO .V. CAESARE.

Suas columnas non tranſcendit Hercules:
Nouumq; mundum non nouêre Cæſares.

At nouus iſte Cæſar, alter Hercules.
Vltra columnas eſt transgreſſus Herculis,
Dum monſtra uictor edomat per Africam:
Nouumq; mundum latè ſubegit ſibi.
Cedant proinde Cæſar, & Hercules.

AD PVELLAM DE NIVE.

Me niue candenti petijt Victoria, rebar
Igne carere niuem, nix tamen ignis erat.
Quid niue frigidius? pectus tamen urere noſtrum
Nix potuit, manibus miſſa puella tuis.
Quis locus inſidijs dabitur mihi tutus amoris,
Frigore concreta ſi latet ignis aqua?
Noſtras ſola potes Victoria tollere flammas,
Non niue, non glacie, ſed potes igne pari.

ANGELI COLOTII *ad Thybrim.*

Thybri pater, quis te ſtupor occupat? aſpice quanta
Lyris, quanta Athéſis laude ſuperbus eat.
Hic dum Tyrrhenum rapidus decurrit in æquor,
Sequanico infectas ſanguine uexit aquas.
Cæde illum Hiſpana tumidũ, & ſpolia ampla ferentẽ
Hadriacus uidit pontus, & obſtupuit.
Quare age, rumpe morã, aut alió tua flumina uerte:
Imbellem Martis non decet urbe frui.

ANDREAE NAVGERII.

Vt primùm clauſo pecus immittetur ouili,
Vrbs, mea Leucippe, cras adeunda mihi eſt.

Hinc ego uendalemq; agnum, centumq; caricl o
Ipſa mihi mater quæ dedit oua fero.
Quid tibi uis referam? niueos, croceoſue cothurnos,
An ne colum, qualem nata Lyconis habet?
Ipſe feram, quæ grata tibi, tu baſia iunge,
Baſia, Leucippe, nec mihi grata nega.
Cras ubi nox aderit, odioſæ elabere matri,
Hasq; inter Corylos ad tua dona ueni.

PETRI BEMBI IN Thybaldæum.

Quæ ripis te ſæpe ſuis ſtupuêre canentem
Eridanus, Tyberisq;, parens ille, hic tuus hoſpes:
Credibile eſt, uates Antoni, nunc quoq; ſyluis
Te canere Elyſiis, turba admirante Deorum.

M. ANTONII FLAMINII.

Non uiuam ſine te, mi Brute, exterrita dixit
Portia, & ardentes ſorbuit ore faces.
Dauale, te extincto, dixit, Victoria, uiuam
Perpetuò mœſtos ſic dolitura dies.
Vtraq; Romana eſt, ſed in hoc Victoria maior,
Nulla dolere poteſt mortua; uiua dolet.

BENEDICTI ACCOLTI ad pacem.

Reſtituis feſſis quòd te pax aurea rebus,
Cultaq; compoſitis litibus arua nitent;
Turba tibi hæc meritò ſeſe lætiſſima fundit,
Et premit agreſtes fronde reuincta comas.

Quaq́; oleæ hoſpitijs ſoles fœlicibus arcent,
Solenni celebrat ſacra nouanda die.
Tu bona ſis, facilisq́; tuis allabere donis;
Moxq́; tuo auſpicio candidus annus eat.

DE CAROLO .V. IMP. MAX.

ἄδηλον

Hoſtem,teq́; ſimul ſuperas ſed maior in ipſo
Eſt te uincendo laus,minor hoſte tuo.
Namq́; quòd ingentes populos euertis,& urbes,
Non hæc debetur gloria tota tibi.
Sors,& miles habent,tormentaq́; bellica partem,
Et partem uirtus,conſiliumq́; tuum.
Hoſte ſed euicto,quòd te quoq; uincis,& iram,
Non eſt communis gloria tota tua eſt.

AD EVNDEM.

ἄδηλον

Nūquam hoſtem uincis,quin te quoq; Carole uincas,
Succumbasq́; hoſti protinus ipſe tuo.
Namq́; ubi uiciſti,lachrimasq́; effuderit hoſtis,
Parcis,& in uictos mollia corda geris.
Quiq́; prius propria cùm ui potiretur,& armis,
Non potuit,uictus uincere te potuit.
Nemo poteſt igitur Cæſar,te uincere uictor
Victorem uictus,uincere quisq; poteſt.

102

QVOD huic, quæ ſequitur Sadoleti oratio, nō ſit primus locus aſsignatus, quoniam futuros aliquos uerebamur, qui repræhenderent, atq; id quidē ſe uel optimo iure facere opinarentur, uoluimus hæc excuſationis apud omnes cauſa præſcribere. Nam ſiue auctorē reſpiciamus, ſiue eum, ad quem habetur, ſiue rem, qua de agitur, nō ij ſumus, qui non fateamur & primum locum à nobis extra ſortem accipere debuiſſe; & aureis ſi fieri poſſet literis informari meruiſſe. Sed primùm in ea præponēda ſententiam noſtram nobis proferre non licuit, quòd (ut à principio dictum eſt) non nulli amici noſtri à nobis tunc cōtenderunt, ut hanc orationem imprimeremus, cùm res integra non erat. Deinde ita inuidiæ terminos exceſſiſſe Sadoletum exiſtimamus, ut ineptè ſanè faciat, ſi quis in huiuſmodi comparationes tanti uiri ſcripta adducere uelit. Et tamen maluiſſemus, dum amicis ſatisfaceremus, ea non ſuo loco poſita, imprudentiæ diſcrimen, quàm omnino reiecta parum beneuoli in eoſdem animi crimen ſubire, dum in ea re nimiæ diligentiæ auram captaremus. Quibus ſatisfeciſſe tum nobis iucundius erit, cùm uobis humani lectores, hac excuſatione noſtram cauſam ualde probaſſe ſenſerimus.

Valete.

Huius

IACOBI SADOLETI ORATIO DE PACE AD IMperatorem Carolum Cæſarem Auguſtum.

HVIVS tanti, & tam diffuſi gaudij, quo pace per te Imperator Cæſar Carole Auguſte Chriſtiano nomini data, omnium mortalium mentes incredibiliter exultant, utinam poſsemus, quēadmodum cuperemus, in agēdis tibi gratijs magnitudinē uerbis exprimere. Sed cū eā capere nec animis noſtris ualeamus, nulla erit profectò oratio, quæ aut tanto tuo in omnes homines merito, aut tantæ noſtræ uoluptati, & letitiæ par, atq; idonea inueniri unq̃ poſsit. Non enim noſtræ fortunæ dūtaxat; quæ legibus extinctis, & æquo iure ſublato, inſolentum ubiq; hominum licentia, & detrimentis diuturni belli fractæ èrant, & diſsipatæ, per te nobis redditæ, & conſtitutæ ſunt: neq; ipſa ſalus, uitaq; noſtra, ea, quæ corporis incolumitate continetur, cùm nuſq̃ tutum antea neq; commorandi locum, neq; progrediendi haberet, per eūdem te, à metu, à periculis, ab exitijs omnibus ſeruata, et liberata eſt. Neq; uerò in liberis, fratribus, conſanguineiſq; noſtris, quorū ſæpe ſalus noſtra nobis uita eſt charior, à diſcriminibus præliorum, à metu quotidianarum cædium, ab iniuria, &

N

libidine intemperantium hominum, ſaluis iam, & in columibus nobis reſtituendis, tua liberalitas conſtitit: ſed quòd maximũ horum omnium, multoq́; magnificẽtiſsimũ eſt, cœlum, cœlum hoc ipſum inq̃, portũ laborum, ærumnarumq́; noſtrarum, quod religione dei immortalis, aut contaminata ubiq; ferè gentium, aut interempta iamdudum amiſeramus; id nunc tuo diuino, & ſingulari beneficio Imperator recepimus. Atq; hæc tua tanta, & tam eximia dona, quibus Chriſtianas gentes uniuerſas es cõplexus, ſi per ſe ipſa ſeparatè pendenda eſſent: cùm nulla uideatur eſſe æſtimatio, quæ ad pondus earum, et dignitatem poſſet aſpirare: Tũ hoc nobis maiora, chariora, optabilioraq́; fuerunt, quòd inopinatò nec expectantibus nobis, in ipſa penè iam extrema rerũ omniũ deſperatione ſunt collata. Sic enim iacebamus afflicti antè, et pditi; ſic omni calamitatum genere premebamur; ut nullã iam omnino ſpẽ melius aliquãdo nobis fore retineremus, ut miſeræ illius, et infœlicis uitæ finem nõ alium, q̃ miſeriorem etiam mortem expectaremus. Cùm te ò Clementiſs. & optime Imperator, bellũ quidem urgente ſortiter, atq; fœliciter: ſed nihilominus pacis conſilia tacitis tuis cogitationibus fouẽte; quòd te noſtrorum malorum, quotidianarumq́; calamitatum iampridem erat miſertum, nos exanimes, ſtupefacti, oppreſsi nuncio pacis, tueq́; bonitatis, & ſapientiæ lumine nobis oblato, ſtatim à caliginoſa, & turbulenta uita ad ſerenam, atq; tranquillam; à deſperatione ad ſpem, ab in-

ſinito omnium rerum mœrore, ad ſummã alacritatẽ, & lætitiam conſurreximus. Quid ergo eſſe poteſt, uel in diuinis muneribus, uel in humanis, quod non ſecundùm Deum quidem, et ſecundùm illius immenſam ineffabilemq́; bonitatẽ tibi acceptum referre debeamus? Qui uitam, qui ſalutem, qui libertatem, qui leges, qui hominũ ſocietates, qui humanitatis iura, qui pignora naturæ, domeſticæq́; charitatis, et sãguinis, qui agros, qui familias, qui urbes, qui domicilia, q pacẽ, ociũ, trãquillitatem, cõcordiam, qui ſpem denique cœleſtium bonorum, & illius beatæ, optatæq́; immortalitatis, quæ tantùm fide deo piè, ſanctéq́;, atq; ita uti à maioribus noſtris præſcriptum eſt, habenda, retineri à nobis poteſt, tuo ipſius munere incolumẽ obtinemus. Quæ omnia prorſus erant nobis ablata, niſi bonitas tua illa reſtituiſſet. Equidem dolebam, & pro mea conſtante, ac perpetua erga Chriſtianã Remp. uoluntate ſæpiſſime hoc cogitans angebar, q inter te, et inter Galliæ regẽ Frãciſcũ, quos probitas, et uirtus, eademq́; erga Deũ religio; tum autem ſanctæ neceſſitudinis uinculum maximè coniungere, & unanimes efficere omnibus in rebus debebat, tantum, & tam atrox bellum incidiſſet. Cuius belli quidem auctores, & hortatores qui fuerint, tacendum mihi eſſe arbitror: quæ uerò, & quanta ex eo bello Chriſtiano nomini damna, atq; exitia inuecta ſint, quis poteſt tacere? Nam ſi ullum unq̃ fuit bellum geſtum à barbaris, quod uel aſperitate odiorũ, uel cupiditate ulciſcẽdi, uel etiã innata quibuſ-

tam gentibus crudelitate, cladem, & uaſtitatem intu- lerit nationibus, internecionẽ populis, omniaq; huma na, ac diuina, impetu ſuo, incurſuq; peruerterit. Hæc om nia uidimus efficere iſtud bellũ; quod tamẽ inter duos optimos, atq; humaniſſimos principes gerebatur: cùm alter Inſubres ſibi ereptos, alter ſubalpinas gẽtes quæ reretur: depoſceret autẽ ita uterq; id, quod iactaret ſu um, ut reddendi alteri mentionẽ nõ faceret. Neq; tamẽ fuiſſet ea diſceptatio tanti, facileq; iniri ratio concor- diæ aliqua potuiſſet; ſi nõ ſuſpiciones, ſi nõ animorum offenſiones, ſi non dicta utrinq;, factaq; nõnulla, quæ ſpeciem iniuriæ uidebantur habere, iras, et animos ad perſeuerãdum inflãmaſſent. Quamq̃ ſi uerior huiuſce mali cauſa proferenda nobis eſt; infenſus hominum peccatis, et ſceleribus Deus, cùm ſuum nomen negligi, ſuasq; paſſim pollui religiones uideret, hoc calami- toſiſſimo bello pœnas à nobis ſui uiolati numinis ex- petiuit. Nam quid aliud credi, aut exiſtimari poteſt, duobus talibus inter ſe diſſidentibus principibus, quo rum uterq; mitis, clemensq; natura, ab huiuſmodi ſtra gibus hominum, et ab effundendo ſanguine Chriſtiano uehemẽter abhorreret; niſi dei occulto, iuſtoq; iudicio hoc bellum inter amicas, et eiſdem legibus coniunctas nationes, tanta obſtinatione animorum, quantam ex perti ſumus, tam multis annis, tãta cum pernicie Chri ſtianorum populorum, et ſuſceptum fuiſſe, et geſtum, & continuatum? Cuius tamen belli ſiqua nonnunq̃ interualla fuerunt, uel tacitis inducijs, uel conſenſione

factis: quod quidẽ in tam longo tẽpore aliquando fuit neceſſe, defatigatis manibus, mẽtibuſq; eorũ, qui uſu ar morum áſsiduo ſua corpora contriuerãt: id tu tibi tẽ pus maxime Imperator, non ad præteritorum tuorũ laborum requiẽ, ſed ad nouorum gloriã iuſtius adipi ſcendam ſumpſiſti. Qui magnis ſæpe exercitibus cõpa ratis, maximis claſsibus inſtructis, & adornatis, con tra noſtræ religionis hoſtes toties iam bella terra, mariq; mouiſti. Ex quo patêre rectè iudicantibus po tuit, te cùm arma ſumeres aduerſus Chriſtianos, neceſsi tate ſumere; cùm aduerſus barbaros, uoluntate. Itaq; ad Viẽnam primùm Auſtriæ urbem, quæ in fratris tui clariſsimi regis imperio, et ditione ſita eſt, cùm ad eã oppugnandam innumerabiles barbarorum copiæ cõ ueniſſent, et quòd præſidiũ in urbe non ſatis firmũ eſſe uidebatur, ui eam expugnandi magnã ſpem cæpiſſẽt; quòd eo deinde tanq̃ Germaniæ, Italiæq; euerſo pro pugnaculo, liberos ſibi excurſus quaſcunq; in oras, & regiones uellent, fore intelligebant: tu qui tum fortè in Italia, & locis Galliæ Ciſalpinæ remotioribus eras, re audita, confeſtim ſubſidio accurriſti, manuſq; mul ta fortium uirorum te eòdem ſecutæ ſunt. Quorum aduentu, tuaq; imprimis fama, & nominis tui aucto ritate hoſtes deterriti, conſilium fugæ ſtatim inierunt, neq; putauerunt, cuius abſentis nomen ſuſtinere non poſſent, eius præſentis, armaq; uibrantis uocem, & uul tum ſe laturos. Itaq; & tibi Imperator tũ iucundũ ui ſu fuit, & nobis auditu certè mirabile, illa infinita ho

ſtium agmina(nam ad ſexcenta millia armatorum in obſidionem illam conueniſſe cõſtabat)nullo audito tubæ ſono,nulla aduerſa acie proſpecta,nullis ſignis collatis, tantúmmodo rumore,et fama,aduentus tui,fuſa, diſsipata,fugata,uelut apum examina,ſubitò euanuiſſe. Quo quidẽ tẽpore nòs cùm maximis in cælũ laudibus uirtutem tuam tolleremus; tum ſalutem quoq; Italiæ acceptam tibi referre non dubitabamus. Secuta eſt maritima expeditio in Africam; quò tu cũ copijs cũ traieciſſes,Tunetum opulentiſsimam urbem primariã totius Africæ,ſobolem, atq; genus magnæ illius,et uicinæ,deſertæq; Carthaginis,poſſeſſam à piratis, et barbarorum gentium armis,copijsq; ita refertam,ut capi non poſſe uideretur,ui tamen,& uirtute recuperaiſti:maximosq; Numidarum exercitus,q obſeſſæ urbi auxilium ferebãt,prælio collatis ſignis profligaſti, partaq; illuſtri uictoria,et rebus compoſitis,cùm dominatum omnium gentium illarum retinere tibi poſſes,urbem illam nihilominus , & totum regnum priſtino regi ſuo,qui illinc antea expulſus,in fidem,et patrocinium tuum confugerat,reddidiſti. Eoq; memorabili facto oſtendiſti,non uirtutem ſolùm tuam bellis inuictam;ſed fidem hoſtibus etiam ſanctam eſſe. Quid dicam de claſſe illa maxima,& ornatiſsima,quam tu,et qui tecũ præclaro fœdere tum cõiũcti fuerũt,Paulus Tertius Pontifex Maximus(cuius ſemper mens , & cogitatio ad hoc ſanctiſsimum contra barbaros bellum aſpirauit) Et Veneti , quibus paulò ante perfi-

dum Turca fœderibus ruptis inſignem iniuriam apud Corcyram fecerat, comparaueratis? nonne cum oppoſita hoſtium claſſe nauali prælio iam iamq; eſſet dimicandum, tua claſsis iudicio omnium, & armis, & animis longè tum ſuperior habita eſt? Quæ tamen ſubitò aduerſo coorto uento, ad littora Epiri coacta eſt deflectere. Cùm nemini dubium eſſet, ſi prælio res potuiſſet decerni, quin ſe ad tuas partes uictoria fuerit deditura. Nam illam alteram tuam contra Algerium urbem Mauritaniæ maritimam expeditionem ij fortunæ caſus conſecuti ſunt: ut uideatur illa cum ſummi Imperatoris uirtute, & ſapientia uenire in certamen, & pro laude, ac uictoria pugnare uoluiſſe: Cùm enim illa urbs loco, manuq; munita ſedes eſſet, & receptaculum omnium prædonum, qui ex ea exire ad populanda littora Italiæ, & Hiſpaniæ, & eôdē ſe referre omnibus è locis ſolebant; tu delendæ huius maculæ, et p̄iculi chriſtianis nationibus depellēdi cupidus, eò cum maxima, & inſtructiſsima claſſe celeritate incredibili trāſmiſiſti: cōtinuoq; expoſitis in terrā militibus, mœnia adortus oppugnare cœpiſti. Cùm pugnātibus fortiſsimè tuis, te ipſo nullum locum cōſulēdi, adhortādiq; prætermittēte, iam pars mōtis ſuperior, quæ oppido imminet, fugato p̄ſidio hoſtium à cohortibus tuis teneretur, diffiderentq; piratæ, et oppidani uim tuā amplius poſſe ſuſtinere; repentè obducto dēſiſſimis nubibus cœlo, magnaq; coorta tēpeſtate; cum ingētibus procellis maximi effuſi imbres; reuocare te mi

lites tuos ab oppugnatiōe, et quòd claſsis nōdum ſatis erat ſubducta; etiã cōpingere in naues coegerũt. Quo in tumultu cùm pturbatè omnia agi eſſet neceſſe: cœlo tonante deſuper: omnia conuoluente uento: pluuijs obruentibus; quis ignorat q̃ admirabilis tum uirtus tua, q̃ cōſtans animus, imperturbatusq; extiterit? Cũ tu diſcurrens in omnem partem milites tuos undiq; colligeres, eosq; uerbis conſolarere, & ad cōſcendēdũ ante te compelleres. Quò illis tuta à tergo omnia tuo periculo, & diligentia præſtarentur. Quis tum non uidit? quis non cognouit? in illo infeſto caſu, qui præter naturam illorum, conſuetudinemq; locorum inopinatus acciderat, magni Imperatoris, ducisq; uirtutem, acrius etiã explorati in aduerſis rebus, q̃ in ſecũdis? Si is non armis deterritus hoſtium, non circumuentus conſilijs: ſed ea habens aduerſaria, quibus uis humana obſiſtere non poteſt, æquitatem nihilominus animi, erga Deum, aduerſus hoſtes fiduciam, in rebus turbidis conſilium, iudiciumq; retineat? Quæ omnia tum: Cæſar tibi ita affuerunt, ut nullius ſpectatior unquã uirtus Imperatoris in uictoria, q̃ tua fuerit in illa offenſione. Nec uerò ea in contentione tibi quidquã fortuna eripuit, præter uictoriã, quam tu de hoſtibus tuis propè modum partam iam habebas. Illud quidem in te eadem perfecit, ut perſpicuum omnibus fieret, maioris eſſe roboris fortunam ſapientia, quàm armatos hoſtes prælio ſuperare. Sed quorſum hæc? quorſum? Nempe Imperator, ut rerum præclarè à te, for-

titerq;

titerq; geſtarum memoriam uſurpantes innouemur ad priſtinam illam ſpem, quam de tua eximia in Chriſtianam Remp. uoluntate iam ante ſuſceperamus: quà una ſpe ſoliti eramus niti: Sed eadem poſt nobis multarum concurſu calamitatum, quas diuturnum iſtud, atroxq; bellum, quod tibi cum Galliæ Rege interceſſit, populis Chriſtianis inuexerat, fuerat ablata, cùm uirtuti quidem tuæ, animoq; non diffideremus: ſed de infelicitate noſtra cõquereremur; tam et ſi culpa erat illa noſtra potius, quàm infelicitas. Cur enim non apertè, planeq; confiteamur? Cùm innumerabilibus peccatis, & malis facinoribus, quæ in Chriſtiano genere iam diu uiguerunt, offenſa Dei omnipotentis uoluntate, & illius nos clementiam à noſtra prouidenda ſalute auertiſſemus; & tuam ille à commodis, noſtris procurandis facultatem. Neq; enim hoc tu Cæſar ita uoluiſti, nos miſeri ut eſſemus, nec tua iſta præſtãs naturæ humanitas, animiq; probitas hoc pati potuiſſet, ſicut nec ad extremum quidem paſſa eſt. Sed tamen (et ſi præter uoluntatẽ tuam) hoc tum nobis ex iſto bello euenerat, nihil ut iã ſupeſſet, quod uel in uita, uel in fortuna, uel in ipſa Dei præpotẽtis religione tutum uſq̃, aut ſtabile, aut integrũ teneremus. Iacebant diuturno bello perculſa, & proſtrata omnia, quibus cultus uitæ, & humanæ ſocietatis iura cõtinentur: neq; erat quiſq̃ tãti mali omnino expers. Italia, Germania, Gallia, Hiſpania, quæ ſolæ propemodum nobis, hoc eſt, populo, nominiq; Chriſtiano à

ſurtis Turcarum uerius dicam, quàm ab armis (quid enim illi unquam ſua uirtute potiùs, quàm diſſenſionibus noſtris ſibi pepererunt?) reliquæ erant factæ, gemebant, & afflictabantur uniuerſæ: populi ubiq; exhauſti: multæ, & magnæ urbes direptæ, aliæ incendijs, aut deformatæ, aut euerſæ; militaris ætas bellorũ longinquitate conſumpta, humanitas ex animis hominum aſsiduo uſu crudelitatis deleta. Et quod erat malum reliquum, quod in calamitatibus noſtris non inesſet? nullum certè uidebatur. Cùm ecce perpetuus ille humani generis prædo, et acerrimus hoſtis, ſathan, qui nũq̃ ſinit nos requieſcere liberè, qui sẽper fraudes, ſemper inſidias noſtræ uitæ, ſalutiq; molitur, amplã nactus occaſionem inimicitiarum inter nos, diſcordiarumq; noſtrarum; & quòd in bonis terrenis nimium occupati illa cœleſtia haud ita appetebamus, genus quoddam hominum nouum excitauit, quod nouo item quodam crudelitatis genere Catholicam Chriſti fidẽ, integritatemq; noſtræ religionis inter Chriſtianos ipſos labefactare contenderet: & ad cætera tot, tanta, tamq; intolerabilia mala, quibus hæc mortalis uita noſtra premebatur, illam etiam, illam omnium teterrimam peſtem adijcerent: ut ſpe cœleſtium præmiorum excluſi, cùm hinc diſcederemus, quod omnibus in morte neceſſariò eſt faciũdum, ne in Dei quidẽ miſericordia, qua is propitius peccantibus nobis, ſed implorantibus tamen ueniam fieri ſolet, perfugium haberemus. Atq; huius mali ſemina primũ orta in Ger-

mania, deinde impunitatem ſimul, & audaciam præbente hominibus cupidis rerum nouandarum, hac tãta orbis terræ perturbatione, longè, lateq́; diſperſa, Chriſtianas ferè omnes prouincias ſic occuparunt; ut ea fruticari ubiq; largiter, & maiora quotidie obſidere ſpatia oculis propè cernãtur. Et ego, qui ita erã natus, & ab initio ita inſtitutus, ut cùm uitam omnẽ meam liberalibus primò ſtudijs, deinde etiã ſacris, religioſisq́; dediſſem, illa potiſsimum ualere ſemper cuperem, quæ de Deo, Deiq́; filio credenda à nobis, & ſentienda, quæq́; item in legibus bonis, & honeſtis moribus ſeruanda, & cuſtodienda, ſancta Eccleſia nobis diuino ſpiritu edocta præſtituiſſet; cùm uiderem illa cõtemni paſsim, & repudiari, quo in mœrore eram? q̃ grauiter fortunam cõmuniũ tẽporum lugebam? quantis animi doloribus affligebar? Erat omnino tam uaria, tamq́; acerba omnium malorum facies, ut qua re potiſsimum angerer, ſtatuere uix poſſem. Cædes fiebant quotidianæ; has meæ naturæ humanitas uehementer abhorrebat: direptiones, incẽdia, rapinæ; quid poterat cogitari atrocius? populorum oppreſsiones, pauperum hominum diſperſiones, quibus præſertim opitulari non poſſes, tanquàm uulneribus animum meum fodiebãt. Neq; hæc oculis magis hauriebamus, quàm auribus: nec ſpectata maiorem nobis dolorem inferebant, quàm audita: præſertim cùm undiq;, & omnibus horis triſtes iſtarum rerum nũtij ad nos perferrentur. Erat etiam noua ſpecies auxilij (ſi id au-

xilium,ac non initium exitij grauioris existimandum eſt) claßis Turcarum uelut ad præſidium Gallici littoris miſſa, ſpeculatrix illa quidẽ noſtrarũ miſeriarum, quæ non alterum è uobis contra alterum adiutum, ſed utroſq; perditos, & exterminatos cuperet. Nam quid aliud poſſumus de illarum impiarum, & barbararum gẽtium crudelitate, perfidia, cupiditateq́; ſentire? Sed tamen in tam immenſa mole malorum omnium, quibus Chriſtiana Reſp. premebatur, nullum neq; grauius me, neq; uehementius angebat, quàm fidei catholicæ, & Chriſtianæ religionis tanta perturbatio: quippe quæ illam etiam extremam ſpem, & expectationem pacati apud Deum, feliciſq́; perfugij nobis auferebat. Nam cæteris in rebus, quàm diu hanc in terris uitam degimus, gradus per multi ſunt, quorum ex uno ſi excidas, queas in alio conſiſtere. Fortunæ amiſſæ ſunt, non deſunt amici, qui te ſuis opibus, beneuolẽtiaq́; ſuſtentent. Hi quoq; ſi euanuerũt, habes domeſtica pignora, quæ tibi in rebus aduerſis tamẽ ſint ſolatio. Enimuerò tibi iſta etiã, uel natura denegarit, uel fortuna eripuerit, cùm incolumi ſis corpore, potes noua tibi ſubſidia alicubi comparare. Morbo, & corporis doloribus, quod extremum iam incommodum eſt, iaceas oppreſſus: tibi ſic affecto ipſa mors medicina putanda eſt. Quid? mortis ipſius, uitæq́; amiſſionis, quã tamẽ ſummũ malum cõplures nominauerũt, ecqua ſunt ſolatia? reliquum unum eſt dumtaxat, & maximum omnium id quidẽ. Sed prorſus ſupremum,

& ultimum,quodq; niſi obtineatur,tota res planè deſperata eſt,quòd iis,qui piè, & cùm religione uixerunt,Chriſtianamq; erga Deum fidem,ſanctè,conſtanterq; retinuerunt,cœlum perpetuæ domicilium fœlicitatis eſt propoſitum. Vbi hi cum Deo omnium bonorum,et gaudiorum largitore,cumq; eius mundiſsimis, & præclariſsimis comitibus, qui uel ab initio ortus ſui in illa cœleſti regione conſtiterunt,uel è terris poſtea Dei benignitate,ſuaq; ipſorum innocentia,ac integritate in eadem loca ſublati ſunt,beato, & ſempiterno æuo perfruantur. Hanc ſpem,leuamentum malorum,incommodorumq; omnium, quæ plurima hæc mortalis uita cunctis hominibus affert;quæq; præcipuè noſtra hæc ætate innumerabilia,& maxima propter iniquiſsimam conditionem tēporum in noſtrum caput fortuna coacervauit; tu mihi nouator rerum, religionumq; eripias? Et cùm labore, ac diligentia maiorum noſtrorum, ſanctiſsimorum hominum, qui ab Apoſtolis usq; in hæc propinqua noſtris tēporibus ſæcula continuata ſerie deuenerunt,munita nobis, & complantata in Cœlum ſit uia; tu alios nobis calles, alias ſemitas commonſtres? per quas,& breuius, & tutius ad eundem locum dicas poſſe perueniri? Primùm quis es tu,qui hoc nobis proponere,& polliceri audeas? qua auctoritate uir? qua grauitate? qua doctrina? qua caſtitate uitæ? ut tibi noua quædam,& inſolita inducenti,aſſentiri facilè,& acquieſcere debeamus? deinde nonne omnibus apertum,& perſpicuum

eſt (id quod ne tu quidem unquam tegere, aut diſsimu lare potuiſti) te non quia de religione à nobis diſsidentes inimicum nobis eſſe factum: ſed quòd inimicitias antea aduerſus nos ſuſcepiſſes, iccirco pòſt diſsidere de religione cœpiſſe: ut non ſalutis communis ſtudio, neq; intelligentia uerioris boni; neq; uerò ob eam cauſam, quò hominibus ſuaderes, quæ putares eſſe ſanctiora; ſed iracundia; ſed contentione; ſed odio noſtri ordinis, cupiditateq; detrahendi, ad tantas in fide catholica ſeditiones excitandas compulſus ſis? In quo fatendum, ac ingenuè eſt, quod negari nec poteſt. noſtra tibi uitia, uariaq; peccata, quæ in natione ſacerdotum permulta iam increbruerũt, anſam, facultatemq; præbuêre, ut eis coarguendis, & in inuidiam apud populos, crimenq; uocandis, populariter agere, & alienare animos hominum ab honore ſacerdotii poſſes. Quod tu nõ tamẽ ex Chriſtiana charitate feciſti: neq; piis in eo præceptis Chriſti paruiſti; cùm, ſi eius leges, & mandata ſeruare uoluiſſes, probi ſacerdotes amandi tibi fuerint, improbi potius docendi; ipſum autem ſacerdotium, quoquomodo quidem cætera ſe haberent, ſanctum, & inuiolabile apud populos retinendum. Quòd ſi etiam aliquo non magno diſcrimine, neq; noſtræ æternæ uitæ, ſalutiſq; periculo nouaretur aliqua res earum rerum quidem, quæ ad ueritatem religionis pertinent, poſſemus forſitan diſsimulare, & tacere. Nunc cùm ueritas nobis in iis rebus uitam, falſitas uerò mortem cum miſeria æterna afferat, ego ne

perpetuum tot ſæculorum conſenſum, tantam aucto-ritatem catholicæ Eccleſiæ deferam? tibi ut aſſentiar, qui neq; in uita, neq; in doctrina eximium quicq̃, aut ſingulare poßides? quòd etiam ſi poßideres, nunquã tamen tanti cuiusq̃ auctoritas eſſet, ut ea authoritati Eccleſiæ deberet ſe opponere. Sẽper enim qui legibus eccleſiaſticis ſubiecto animo paruerunt, doctiores hi multò, & ſapientiores habiti ſunt, quàm qui nouis inſtitutis, inſuetisq; doctrinis peruertere illam, & commutare ſunt conati. Nam ſi in hoc continenti mille & quingentorum annorum curriculo, ex quo Dei filius humanum corpus aſſumpſit, catholica perpetuò Eccleſia eundem ſenſum, eandemq; fidem de diuinis rebus ſeruante, ac retinẽte, quàm plurimi è noſtrorum cœtu, ipſius præceptis Eccleſiæ inſtituti, aditum ſibi in cœlum inuenire meruerunt, quid eſt, cur nos ab illa tuta, & iam explorata uia diſcedere nunc debeamus? Sin autem nemo adhuc extitit, qui cauſam rectè cognoſceret religionis, eamq; nũc primùm iſti oſtẽdere nobis, aperireq; cœperunt, eſt ne quod cogitari poßit indignius, quod ue magis impium, quàm ſeruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum, mentem, conſilium, et ſapientiam ſempiterni patris ſui Dei, tantò prius q̃ oportuerit, quàq; humano generi expedierit in crucem ſublatum, & mortem perpeſſum eſſe? Cùm hoc diuinum illius in omnes mortales beneficium, qui morte eius uitam ipſi adepti ſumus, tam multis deinceps ſæculis ſterile ſui fructus fuerit futurum? At primi il

li optimè ſenſerunt;nos prolapſi ſumus: non in decre tis quidem,non in ſentētia fidei,non in opinione,aſſen ſuq; ueritatis. Aliqua fortaſſe in moribus labes facta eſt,cui decuit alia ſubueniri ratione,alio prouideri cō ſilio,omnia quidem certè agi ita oportuit,ut Chriſtia næ tamen unitatis uinculum inter nos ne diſcinderetur. Sed hæc,quæ clariora ſunt,quàm ut ambiguitatē recipiant, omittamus: ad illa redeamus,quæ nobis à principio fuerant propoſita. Nempe quòd cùm tam miſero eſſet in ſtatu Chriſtiana Reſp.nec illi extremū uix ſpiritum trahenti, alia re ulla, quàm pace ueſtra inter te Cæſar, & Regem Galliæ ferri ſubſidium poſſet;repentè,nec opinatò clemens,& miſericors Deus res deſperatiſſimas,animosq; amborum ueſtrûm diſſentientiſſimos ad pacem, ad concordiam,ad priſtinā inter uos beneuolentiam,charitatemq; adduxit, ut cū ſpem omnem ſalutis nos penitus abieciſſemus;tum maximè ſperare,& erigere animos inciperemus. Et ſolent quidem huiuſmodi eſſe Dei omnipotentis dona, opinionibus inexpectata,temporibus opportuna,magnitudine immenſa:ut nobis tum præcipuè,cùm uiribus noſtris, conſilijsq; diffidimus,bonitas diuina ſubueniat:quò omnis ei à nobis gratia,omnisq; noſtra ſalus accepta referatur. Sed quoniam id quoq; fuit neceſſe,ut amborum Regum mentes diuinis ſponte inſpirationibus conſentirent: ijsq; ambo conſensêre: eſt quidem uterq; ueſtrum egregiam laudem meritus: ſed tua Cæſar in hac re præcipua fuit gloria. Tu enim

pacem,

pacem, & bellum in poteſtate habebas, & utrò te de diſſes, eò te fortunā ſequi Reip. erat neceſſe. Si bellum maluiſſes, ut ſemper eſſet miſera: Sin ad pacem te inclinaſſes, tum ut ſuorum ornamentorum (ſi qua ei tamen reliqua adhuc ſunt) retinendorum, aut etiam recuperandorum, quæ plurima illi ſunt amiſſa, ſpem aliquam conciperet. In qua ancipiti futuri euentus expectatione cùm uehementer animi penderemus, eſſemusq́; tamē ad metuendum, quàm ad ſperandum proproniores; aut ſi id, quod res eſt, apertius eſt dicendū, timor planè in eo ſpes noſtras obrueret, ſubito, & inexpectato Dei immortalis munere, tua te ad hanc optimam partem Carole Cæſar, inducente prudentia, pietate, uirtute, lætiſſimus confectæ pacis nuncius per omnes oras, regionesq́; Galliæ, Italiæ, Germaniæ, Hiſpaniæq́; cucurrit. Quo nuntio excitati animi cunctorum ſunt: & ad cœlum omnes cum uoluptate intuendum uultus ſuos erexerunt: quos antea timor, & omnium rerum deſperatio in terram illis defixerat. Atq; ego non dubito, quin tu hac ſemper mente, & uoluntate fueris, ut per te potiſſimùm uelles communi Chriſtiani nominis ſaluti eſſe conſultum. Quid enim aliud tua illa inuicta toties iam arrepta contra hoſtes fidei Chriſtianæ arma nobis indicabant? quid claſſes? quid exercitus? quid tuum ipſius corpus, terra, atq; mari omnibus ſæpe periculis expoſitum à te, atq; obiectum? niſi te ea ſemper cogitare, moliri, agere, quibus maximam gloriam tuam cum ſumma

Reip. utilitate coniungeres? Quamq́ quod dixi non dubitare me, rectius nunc dico, mihi planè fuiſſe cognitum, cùm non cõiectura mihi res pendenda ſit; ſed iſtitutæ optimæ, præclariſsimæq́; uolũtati penitus ſim cõſcius. Qui quidem tecum, & Niceæ bis: cùm tu eò, & Rex Galliæ Franciſcus, Paulo Pontifice Maximo uocante, ob cauſam agendi de pace conueniſſetis: & Buſſeti ſemel in Placentino agro: quò te eiusdem Pontificis rogatu contuleras, congreſſus, in uarijs, multisq́; ſermonibus facilè perſpexi, nihil te habere conſilijs tuis magis propoſitum, quàm exactionem barbarorum, reſtitutionemq́; ueteris Imperij, et Chriſtianæ religionis propagationẽ. Quarum rerum pulcherrimarum, atq; ampliſsimarum conatum, atq; curam, cùm magno quidem tuo cum dolore, hæc tibi cũ Rege Gallorũ diſſenſio ſuſcepta impediret, recordor me cùm multa tibi ſuaſiſſe, quæ pertinebant ad pacẽ; tum hoc imprimis dixiſſe, conſtanterq́; affirmaſſe, non poſſe mihi perſuaderi, quin te unum Deus ex tam multis principibus, qui tot antea fuere ſæculis legiſſet, per quem uellet honorem ſui nominis, & inter Chriſtianos ſanctis moribus reducendis, & inter barbaros impietate excidenda, ubiq; propagari: Cùm is tantã imperii potentiam, cum tanta in te, & magnitudine animi, & prudentia copulaſſet: neq; credibile eſſet rebus Chriſtianis, & extrinſecus, & intra iam profligatis, & propè perditis, quin meditatum, & paratũ iam afforet ab ipſius Dei prouida, & miſericordi mẽ

te,in te, & in tua uirtute, authoritateq́; præſidium. Quamobrem te hortabar, ut ne tempus amitteres: et cùm noſſes hoc tam præclarum de te Dei omnipotentis iudicium, cum eo Rege bello ne contenderes, quocum tibi arcta affinitas iam eſſet: ſummæ autem beneuolentiæ, ſummæq́; neceßitudinis charitas facilè coire inter uos, et conciliari poſſet: in eos autẽ hoſtes tua arma cõuerteres, quos nec amicitia tibi adiungere propter illorum impiam contra ſanguinem, & nomen noſtrum crudelitatem: nec fœderibus obligare, propter eorundem perfidiam poſſes: & qui præcipuè te ipſum propriis iniuriis ſæpius iam laceßiſſent. Quibus tum meis ſuaſionibus, & precibus memini te Imperatoria illa tua grauitate decentem leniter admodum, & ſedatè reſpondere: Cùm hæc diceres, ſummum quidem tuum ſtudium, ſummamq́; cupiditatem ſemper fuiſſe bello Barbaros, & Turcas inſectandi, eiusq́; tui animi ſatis multa te exiſtimare ſigna, atq; indicia Chriſtiano nomini abs te fuiſſe data. Sed tamen non poſſe in præſentia pati dignitatem tuam, cùm te Rex Galliæ imparatum, & abſentem, & propter inducias, quæ inter uos fuerant dictæ, nil tale ſuſpicantem, improuiſo bello laceßiſſet, nõnullaq́; tuæ ditionis oppida ſubito aduentu ſuo occupauiſſet: ut tu eam iniuriam placato animo ferres. Cùm ſi id ita faceres, quaſi ulciſcendi, & uindicandi tibi non eſſet facultas; & inimici tui animos aucturus, & in tua exiſtimatione maculam contracturus eſſes. Multa

præterea dixiſti, cur tibi tunc firmam, & ueram pacem cum eo ſperare non liceret. Quæ ego audiens equidem diluere conabar, ueneram enim à Gallica Legatione recens, quò me Pontifex Maximus pacis ſuadendæ gratia ad illum optimum certè, & omni humanitate ornatiſſimum Regem miſerat: illius animũ perſpexeram: à ſtudio pacis eum non alienum intellexeram. Quæ cùm commemorare, & perſuadere cuperem, neceſſe mihi ad extremum fuit orationis grauitati, & firmitati tuæ uoluntatis cedere: tantum diſcedens tibi dixi, dolere me quidem peruehementer, quòd exoptatos fructus præſtantiſſimæ uirtutis tuæ iſtæ ſociales inter uos diſcordiæ nobis interrũperẽt: Sed tamen quòd ſpe certiſſima tenerer nõ fruſtra te à Deo talem, et tantum principem nobis tributum eſſe, ſed ut eſſet qui Chriſtianos populos à barbarorum iniuriis, contumeliisq́; defenderet: facturum me (quod in me eſſet) ut aſſiduè dies, & noctes omnipotenti Deo pro uita, & ſalute tua ſupplicarem. Quod feci, Imperator, & facio, tantoq́; poſthac amantius, & ſtudioſius facturus ſum, quantò intelligo, pace inter uos conſtituta, & meorum exitum uotorum quotidie magis, & tuæ in noſtra ſalute ſtabilienda ſperatæ laudis appropinquare. Sed quod dicebam; cùm abiiſſem à te mœrens, mihiq́; ob animum tua durior quidem illa, quàm tum mihi debere eſſe uidebatur, belli cum Rege Galliæ gerendi deliberatio uerſaretur, non tamen uidi, id quod ſi uidere, & perſpicere potuiſſem,

non ego humano, ſed diuino quodam ingenio fuiſſem, præditus: parq́;(quod optandum eſt magis, quàm ſperandum) tuæ incredibili ſapiētiæ mea mens extitiſſet. Non uidi(inquam)inuolucrum abſtruſum, & multiplex, prudentißimarum cogitationum tuarum, quæ cùm eôdem omnes intenderent, quò nos cupiebamus: Cùm tibi hoc unū eſſet maximè ſemper propoſitum, ut propugnationē populi Chriſtiani aduerſus Turcas ſuſciperes, itinera tamen, atq; uias, quibus ad illius cō ſilii exitum poſſet perueniri, tu ſolus acutißimè cernebas: nos ignorabamus. Fateor, Carole: non dißimulo: latuit me altitudo, & conſilii, & animi tui; quæ ne nunc quidem mihi ſatis perſpecta eſſet, niſi eam exitus ipſi rerum pateſeciſſent. Itaq; quod ſolebamus ſæpe, aut cum aliis loqui, aut per nos ipſi ſentire, cùm de te, deq́; tuis rebus geſtis mentionem haberemus, quod in omnibus ferè congreßibus, & circulis contingebat, donatum eſſe à Deo nobis principem, cuius ſimilem alterum uix ulla unquam habuiſſet ætas: conſilio præcellentem, belli armis inuictum, nihil animo cōcipientem, niſi quod altum, quod inſigne, quod glorioſum exiſteret: tum humanitate, continentia, cæteris uirtutibus ſingulariter ornatum: quæ quidem ſummū principem uirtutes, Imperatoremq́; deceant, quiq́; magna iam indicia uirtutis ſuæ, & erga Deum pietatis populo Chriſtiano dediſſet, pro cuius Dei nomine, honoreq́; tutando, tot iam aduerſus barbaros bella ſuſcepiſſet; totiens mare tranſiſſet; tam præclaras do

mum uictorias reportaſſet. Conſtantinum illum pri mum, aut Theodoſium, aut illum etiam ipſum, qui ue ſtri generis, & nominis fuit auctor, Carolum Ma gnum uidebamur tāquam è Cœlo nobis redditum, & reſtitutum in te poſsidere: quin etiam maiora de te ſperabamus, quàm de illo accepimus. In hac tanta cō memoratione laudum, uirtutumq; tuarum inerat ta men quiddam, quod deſiderabatur. Noſti enim Cæſar hominum mores, atq; ingenia, quò plura, & maiora in quopiam ornamenta conſpiciunt, hoc magis ad re quirendum ſi quid abeſt conuertuntur. Nec uerò in tanta luce laudum tuarum, quæ te circumfulgebant, quicquàm poterat eſſe non apertum, quod diſsimile eſſet partium cæterarum. Lenitas quædam in te maior, & clementior animus ad deponendas offen ſiones requirebatur: ut cùm ſociales diſcordias Reip. condonares, ad gerenda ſanctiora, & magis neceſſa ria bella expeditior fores. Cuius quidem communis penè noſtrûm omnium opinionis de te, et iudicii nūc me uehementer pudet. Clementiam ne in te nos, & placabilitatem quærebamus? aut hæc eximia uir tus in tuis tot cæteris ornamentis te una deficiebat? Tu iſta natura, iſto genere, iſto animo, iſta ſapi entia ferus, & implacabilis eſſe poſſes? quid eſſent Cæſar reliquæ tuæ uirtutes tantæ, & tam multæ, niſi tu eas humanitate, clementiaq; condires? Nam arma quidem tractare fortiter, gerere res conſtanter, terri bilem eſſe hoſtibus, inuictum in rebus aduerſis, aerē,

& perſequentem in ſecundis, complures ueterum du
cum,atq; Imperatorũ,et ſtuduerũt,et ualuerũt.Illud,
illud in paucis fuit admirabile,illud laudãdũ, ſiqui ex
titerunt;qui in magna fortuna mite ingeniũ, & mode
ratum animum potuerint retinere . Cuiuſmodi fuiſſe
illos accepimus,quos paulò ante ex tam magna copia
tam paucos cõmemorauimus.Ex quibus præcipuè Ca
rolus,cuius tu & nominis, & Imperii hæreditatem,
tot ſeculis pòſt aſſecutus es, tanta & pietate erga
Deum,& benignitate aduerſus omnes,qui ad eum adi
bant, fuiſſe dicitur:ut cùm plurima,& maxima bella
Chriſtianæ propagandæ religionis cauſa confeciſſet,
plures gentes tamen propter humanitatem eius, quã
propter potentiam ad fidem Chriſti confiterentur ſe
eſſe conuerſas. Hunc igitur cùm habeas ſpecimen,&
exemplum uitæ bene dirigendæ,immitis tu, & inhu-
manus eſſe poßis?res ipſa indicauit cuiuſmodi fueris.
Qui cùm intuliſſes Galliæ bellum,longeq́; introrſum
cum tuis copiis in eam penetraſſes, ad Lutetiæ Pa-
riſiorũ mœnia propius acceßiſſes,magnis iam rebus
geſtis,cõpluribus munitißimis oppidis, ui, & oppu-
gnando in tuam ditionem redactis:quãquam Franci-
ſco Rege ſingulari uirtute,ac uigilãtia omnibus tuis
conatibus obſiſtente: tamen cùm à ſpe uictoriæ tua
opinio non abhorreret, ut primùm tuæ exiſtima-
tioni ſatisfactum eſſe duxiſti; ſenſiſtiq́; tẽpora Reip.
hoc poſtulare, nec communem Chriſtianarum gen-
tium ſalutem ueſtra huiuſmodi dißidia amplius per-

ferre poſſe: præter omnium mortalium ſpem, & expectationem repentè pacem cum ipſo Rege Galliæ, hoc cupiente, & optante complexus es, atq; eiuſmodi pacem, per quam non uetus modò ueſtræ neceßitudinis ſanctitas renouata, ſed magnis acceßionibus charitatis, & amicitiæ aucta etiam, & cumulata eſſe uideatur. Quid ergo eſt? cur hoc idem cùm poſſes, de principio non egiſti? cur tantum moræ, tantum formidinis, tantum malorum, & periculorum intercedere paſſus es? In quo nobis orantibus, & ſupplicantibus, ut paulò ante dicebam uidebaris eſſe durior? Patere, obſecro Cæſar, tuas à me cogitationes explicari; & illa alta, magnificaq; conſilia, quæ in intimo pectore admirabilis tuæ prudentiæ inuolucris tegebas, in lucem proferri: ſi tamen hoc, nec tua Maieſtate indignum, & fructuoſum cognitu omnibus futurum eſt. Neq; enim eſt ulla diſciplina præſtantior, quàm ea, quæ ex optimi Principis conſiliis, atq; factis, non ſolū homines ingenioſos, & bonos; ſed ipſum etiam uulgus erudit. Ita igitur cogitaſti. Cùm talis eſſes, tantusq; princeps, & is, qui ampliſsimam tuam poteſtatem magnitudine ſemper animi, fortunam uirtute ſuperauiſſes; non poſſe dißimulari abs te, inultumq; dimitti, quòd te Rex Galliæ inexpectato bello laceßiſſet. Quid ergo? ita ne uindicare parabas, ut ſanguinē, et uitam Regis neceſſarii peteres? Minimè. An illo ex pulſo è regno, & exturbato, ex calamitate illius creſcere, & opes tuas amplificare uolebas? ne hoc quidem

dem tibi fuit tum propoſitum. Quæ igitur cauſa, quæ ratio tam implacabilis diſsidij? Cùm Paulus Summus Pontifex miſsis ex noſtro ampliſsimo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ordine ad te, & ad Galliæ Regem Legatis, ad pacem utrunq; ueſtrûm hortaretur, egoq; tum Legatus ad Chriſtianiſsimum Regem ueniſſem, animumq; illius ardentē dolore, & iracundia, quòd legatos ſuos contra fas (ut aiebat) à tuis interfectos querebatur; eamq; ſibi cauſam capiendorum armorum fuiſſe dicebat; multis tum rationibus ad ſtudium pacis, concordiæq; flexiſſem, in quo (dicam enim liberè id quod cognoui, & ſenſi; nec laudibus maximi Regis fidei meæ teſtimonium denegabo) uiſus eſt mihi Rex ille, ad ſummum, excellenſq; ingenium, quo largiter à Deo, & à natura eſt inſtructus, ſummamq; omnium rerum peritiam, quæ res uel ad pacem, uel ad bellum pertinerent, tantam adiunctam habere probitatem animi, et erga Deum uerum, certamq; religionem, ut digniſsimus illo regali faſtigio, indignus ea diſſenſione, & diſcordia, quæ illi tecum erat ab omnibus iudicandus eſſe uideretur. Cùm igitur ex una parte res eſſent paratæ, Rexq; Franciſcus pacem æquis conditionibus non reſpueret; quarum ille conditionum Pontificem Maximum arbitrum, & moderatorem eſſe uolebat. Cùm ego proximo hoc tuo in Italiam aduentu, tecū congreſſus multis uerbis ſuaſiſſem pacem, cunctiq; te rogaremus, omneſq; & noti, & ignoti hoc idem à te

Q

peterent, nec uideretur Chriſtiana Reſp. multis iam lacerata, atq; uexata immanium Turcarum non uictorijs, ſed furtis, ſine pace ueſtrûm, & ſine concordia poſſe cõnſiſtere, tu tamen cœlans animi tui arcanum, quod ſalutare, & commodum Reip. Chriſtianæ ipſe intelligebas, te inexorabilem cunctis præbuiſti, omnium preces tua perſeuerantia oppreßiſti. Confirmaſti te bello iniurias tuas perſequuturum: conflaſti maximos exercitus: armaſti, cùm omnes tuam lenitatem requirerent, illamq; uim, & impetum incitati animi tui in Turcas potius conuerti omnibus uotis expoſcerent. Quem tamen eundem finem tu te tibi, neq; alium prorſus ullum, in illis armis, delectibus, totoq; apparatu bellico propoſueras. Non enim bellum contra Galliam ſuſcipiebas, ut nationem illam & religioſam, et fortem funditus euerteres: nec iniurias tuas eo animo ultum ibas, quòd eas ſui ſanguine Chriſtianorum uelles, ſed quòd nominis tui ingens, amplaq; auctoritas, ſi contumeliam lento animo tuliſſes, in ſuſpicionem humilis, et demiſsi animi uidebatur uentura, præſertim apud Turcas, qui inſolentiam, & iactationem, fructum altioris fortunæ cùm ſtatuant, hanc Chriſtianam manſuetudinem, et placabilitatem, ſanctaq; cœleſtis doctrinæ præcepta nõ agnoſcunt. Quò igitur aduerſus illos terribilior exurgeres, cùm hi uiderent te nulla ui, nullo periculo, nullo labore frangi, quominus hoſtes tuos omni ope, omniq; opera, nunquam defeſſo animo perſequerere: Iccirco Gallica ex

peditio à te ſuſcepta eſt, non oblectamentum iracundiæ tuæ, ſed firmamentum auctoritatis. Atq; hoc illud fuit, in quo nos decepti ſumus. Non enim tam profunde noſtras cogitationes immerſimus, uicitq; in eo ſapientia tua omnium hominum prudentiam. Nam nos pace tibi cum Chriſtianiſsimo Rege facta, cùm paratas copias, & omnia tibi prompta ad gerendum barbaricum bellum putaremus, tu altiore multò, abſtruſioreq; conſilio, ſi ſtudium tuum ad noſtra ſtudia tunc accommodaſſes, maximum tibi belli inſtrumentum, & certiſsimum pignus futuræ uictoriæ, auctoritatẽ abfuturam intelligebas. quæ certe iacturã, & diminutionem eſſet paſſa, niſi & nos, & cæteri, & omnes deniq; homines, ipſiq; in primis Turcæ ipſo euentu rerum docti perſpexiſſent; quicunq; tuam dignitatẽ uiolaſſet armis, eum de Imperio tecum etiã, et de uita eſſe demicaturũ. Hác auctoritatẽ igitur, ut ea tibi ſalua, incolumiſq; maneret, omni cùm cura prouidiſti, præſidiumq; fortiſsimum tuæ potentiæ, dignitã tis, nominis, afferre aduerſus hoſtes tecum uoluiſti, ſine quo nimirum res magnæ geri non poſſunt. Nam quod ad potentiam attinet, imperas tu quidem Cæſar, fortiſsimis nationibus; eæq; prouinciæ, quæ ſemper uiris, ſemper animis excellere iudicatæ ſunt, Italia, Germania, Hiſpania, tibi dicto ſunt audientes: ex quibus, legere optimos milites, quales ex reliquo orbe terrarum non queant legi; magnosq; ex illis conficere exercitus: poſsidere claſsibus maria: ſuppeditare

copias,& commeatus poßis. Verum tamen iſta, niſi tua inſigni prudentia, conſilioq; regerentur, ad bellum per ſe gerendum non ſatis eſſent idonea. Animo enim opus eſt, qui iſta omnia gubernet, & prouido, & ſapiente: quibus tanquam acies gladio, ſic ille copijs, apparatibus, potentiæ, uim, & acumen præbeat. Ipſa uerò prudentia, quæ fermè domina eſt rerum cæterarum, & quæ in quocunq; principe ineſt, magnum eum bonis, & uenerabilem, formidoloſum impijs, atq; improbis hominibus facit, quã in te Imperator ſummã eſſe, et ſingularẽ cernimus: quæ q̃uis polleat uehementer in omnibus rebus humanis, tamen ea quoq; interdum fortunæ ſubiecta eſt: præſertim ſi cum audacia, & cum temeritate ueniat in certamen: quod ſæpe in bellis accidere eſt neceſſe. Non enim rarò conſideratißimi duces à proiectis, & præcipitibus ſuperati ſunt: & ſunt tamen aliquando apud barbaros nonnulli, qui ſua conſi ia noſtris conſilijs opponant. At uerò hæc, de qua iamdudum loquor, auctoritas, quæ eſt de tuo inſuperabili ingenio, deq; infatigabili in contentionibus omnibus animi uirtute, cum magna celebritate, & gloria tui nominis, in animis gentium impreſſa opinio: Hæc inquam ea ipſa eſt, quæ te non inuictum ſolùm, ſed terribilem ultrò hoſtibus tuis facit. Quam tu, quòd reiectis ſuperiore anno precibus omnium noſtrûm, conſilijs, quæ de ineunda cum Rege Gallorum concordia tibi proponebãtur, poſthabitis, gerendo potius bello ſeruare tibi incolumem uoluiſti,

nimirum plurimum uidiſti, maximumq́; propugnacu lum tuæ exiſtimationis, & nominis non reſtituiſti mo dò, uerùm etiam auctius, munitiusq́; reddidiſti. Cùm ta men iniurias tùnc acceptas commemorans, & obſti natum animum ulciſcendi præteferens, aſperitatem quidem in uerbis, atq; uultu, in animo autem clemen tiã, & humanitatem contineres. Quæ fuit ratio (ut antea dixi) nobis quidem omnibus abſcondita; ſed tua Cæſar inſigni prudentia uehementer digna. Non enim Chriſtianam Remp. tum lædebas, ut quibusdam forſi tan uidebare: ſed pro Chriſtianæ Reip. ſalute ſeue ritatem illam ſuſcipiebas, maiorisq́; boni nobis conci liandi cauſa, minus illud bonum tunc negligendum du cebas. Et re uera nullum neq; maius, neq; præſtan tius Chriſtianæ Reip. poteſt eſſe bonum, quàm auc toritas Cæſar tua, & iſte animus, quo eam totam con ferre in barbarorum excidium, & reſtitutionem uete ris Chriſtianæ dignitatis uis. In quo opere profectò ſancto, & commemorabili, illa tibi futura eſt et acies fortiſſima, & exercitus robuſtiſſimus: non enim un quam auctoritas uincitur, nec poteſt ipſa non uince re: quippe quæ uel procul, & antequam ueniat ad uerſarijs in conſpectum, ipſo rumore, & nonnũne bella conficere ſoleat, eripiatq́; hoſtibus, & conſilium, & audaciam. Vt cùm audierint armatum incedere cõtra ſe Principem illum, Imperatoremq́;, quem ſciant eo animo bella ſuſcipere ſolere, ut aut uincere ipſe, aut omnia abiiçere ſit paratus, qui ſibi confidat, nullum

noſcat timorem; concedat omnino nemini, fortunæ ipſi non ſuccumbat: atq; hæc non temeritate, nec ſubita concitatione, ſed conſilio agat, ſed ſapientia, ſed magnitudine animi, ſed longo uſu bellorum; in quibus iamdiu ſit multis, & magnis non expeditionibus ſolum, ſed uictoriis eruditus; concidant ſtatim animis; orbentur omni conſilio, caſumq́; propinqui periculi ſui uehementius perhorreſcant, quos nũc ſic affectos tua ingens auctoritas, paxq́; cum Chriſtianiſſimo Rege, maximo in nos omnes Dei omnipotentis dono opportuniſsimè facta, ſine ulla dubitatione tibi traditura eſt. Quamobrem Carole Cæſar, honore Imperator, uirtute uerè Auguſte, cogita iam ipſe, quid tibi deinceps ſit ad deliberandum, & ad gerendum reliquum. Quamquam quid, ut cogites peto? quid ut ipſe tuimet memor ſis poſtulo? quod enim unquã conſilium magnanimum, et ſapiens à tua iſta mente, et cogitatione abfuit? Sed quo ſolemus modo agere erga Deum, cùm quid illum iam certum quid facturus ſit, cùm precibus tamen, & cum pietate poſcimus, eodem agimus ergã te; ut Chriſtianæ Reip. extremo illius tempore, & extrema penè iam neceſsitate ſubuenias. Hoc quidem ipſe ita cogitas: hoc habes propoſitum tibi, & conſtitutum: ſed tamen liceat nobis implorare opem tuã: liceat cõmiſerari dolores noſtros: liceat uulnera detegere, quibus afflicta Reſp. & lacerata eſt, nec tu ea non cernis, quis enim acutius, aut altiore ex loco proſpicit? ſed ideo nos illa proferimus,

quò tu in illis uindicandis non ſolum ſpectes gloriam tuã, ſed ſalutem etiam noſtram. Et ſanè in primis ſanctæ religionis cauſa à te eſt ſuſcipienda. Cuius moderator quidem, & arbiter Romanus Pontifex eſſe debet: qui ſuam huiuſce rei uoluntatem etiam bis indicto Chriſtiani nominis concilio eſt teſtatus. Sed ſine præſenti ope tua; ſicut re ipſa perſpicuũ factum eſt; nihil neq; inſtitui rectè, nec ad optatum exitum perduci poteſt. Huc igitur imprimis animum tuum conferas, & conuertas oportet. Hæc enim cauſa ea eſt, in qua (niſi fallor) cæteræ quoq; cauſæ, quæ ad communem ſalutem conſtituendam pertineant, cunctæ complexæ ſunt. Auerſo enim à nobis propter iſtas innumerabiles diſſenſiones, quas ipſi de eius religione habemus, ſine dubio Deo, qui unitatem, & conſenſum præcipuè à nobis poſtulat, quid poteſt reliquis in rebus remanere apud nos inuiolati, atq; ſancti? Itaq; & ius iamdudum è moribus hominum exterminatum eſt, & iniuria introducta, tantiſq; ſimulationibus, odijs, ſuſpicionibus, inſidiis referta hominum uita eſt; ut eius bene agendæ, neq; ordinem rectum iam, nec modum inueniamus. Quæ tot mala, tamq; pernicioſa, ſi uerè, & ſanctè, ſublatis diſsidiis religio conſtituta fuerit: neq; ea ſolùm in rectis opinionibus, ſed in bonis etiam, ac ipſorum præſertim ſacerdotum moribus reſtituta, ſicut nebulæ oriente, & ſe attollente Sole, ſic illa Deo ad nos clementibus iam oculis, & ſereno fronte conuerſo, è ueſtigio diſsipabuntur: lucemq; no

bis integram, puramq; relinquent. Neq; tu hoc tibi Cæſar graue, & laborioſum eſſe duxeris, non eſt in diſceptationibus, nec in controuerſia res, omnia, quæ ad ueram Dei notionem, uerumq; cultum pertinent (in quo quidem uno noſtra perpetuò ſalus ſita eſt) ſingulari maiorum noſtrorum prouidentia, & Spiritus Sancti ope, qui ſemper catholicæ Eccleſiæ comes affixus eſt, ſanctiſsimis decretis, & præclariſsimis legibus ſancita ſunt. Qua ratione nos gerere; quod cæteris exemplum uitæ bene, pieq; agendæ in nobis ipſis conſtituere: quæ de Deo ſentire, & de diuinis rebus debeamus, iamdiu eſt nobis diligentiſsimè, ordinatiſsimeq; præſcriptum. A qua præſcriptione qui diſceſſerunt, miſeri ipſi, & errantes, qui agunt, & egerunt, ut alii quoq; diſcederent, ij impij meritò ſemper ſunt iudicati. Nec uerò in altercationibus, & diſsidijs inter nos: ſed in charitate, mutuaq; benignitate, beata à Deo nobis, & immortalis uita eſt propoſita. Quam obrem non erit hîc tibi mora, aut durior aliquis labor, quominus recipere te celeriter ad bellicas curas, & cogitationes poſsis. moribus enim correctis, ſacerdotumq; potiſsimum, quorum inuidia tot, & tam perniſioſe ubiq; turbæ, grauesq; ſeditiones concitatæ ſunt, omnibus fiet iam diſcordijs, & diſſenſionibus finis. Et qui nunc acerbè admodum, & pertinaciter inter ſe diſsident, in unum omnes ſenſum, unamq; uoluntatem conſpirabunt: quæ uera, & propria Chriſtiani nominis eſt profeſsio. Atq; huius quidem præ-

clari

clari muneris,atq; operis Romanus Pontifex,dux,et auctor futurus eſt,pro loco,pro honore,pro ea auctoritate, qua ab Deo eſt munitus: ſed tua quoq; uoluntas,Cæſar,et Galliæ Regis tecum, uehementer eſt neceſſaria. Vos enim duo ij eſtis,quos populo ſuo Deus gubernatores potiſſimùm præfecerit,et magiſtros: quorum imperium, & auctoritatem reliquus Chriſtianus orbis ſequatur: qui antea ueſtris diſcordijs omnia perturbabatis,ijdem nunc in unam ſententiam, unamq; mentem conuenientes, tanquam conflatis amore, & beneuolentia animis,omnia eſtis in integrum reſtituturi.Quid enim aliud nobis polliceri debemus ex ea pace,quam ſine dubio inter uos, non ulla humani conſilij,aut ingenij uis, ſed Deus ipſe,ipſemet (inquam) Deus, ſalua dignitate utriuſq; ueſtrûm conſtituit? Nonne futuram eam, & ſtabilem, & ſanctam? nonne communia uobis conſilia, quæ ad ſalutem publicam ſpectent,omnia futura? nonne animos ueſtros (quod ex magnis inimicitijs accidere interdum ſolet) ſicut paulò ante uehementibus odijs arſerunt, ſic pari nunc beneuolentia, & mutua flagraturos? præſertim cùm Deus ipſe ſuum opus, ſuum munus, ſuum beneficium tutaturus ſit. Cùm nihil poſthac uideatur poſſe accidere, ſublatis omnium tam diſcordiarum cauſis,quod diſsidium inter uos, contentionemue commoueat. Cùm tu Cæſar planiſſimè, & certiſsimè,pro tua admirabili prudentia iam in-

R

telligas, quantò expeditior, & paratior ad illa tua magna conſilia exequenda futurus ſis, adiuncto tibi per amicitiam Chriſtianiſsimo Rege, quàm eodem odijs, diſſenſionibusq; ſeiuncto. Qui quidem Rex iam etiam tecum, non uno, neq; ſimplici, ſed pluribus uinculis copulatus ſit, affinitatis olim, nunc etiam & fœderis, & * ſententiæ, & fortunæ ornatiſsimus Rex. Credas mihi hoc uelim Cæſar, non enim res mihi ignotas profero, quæ etiam, ſi dubiæ eſſent, nequaquam à me pro certis commemorarentur, ſed uidi, ſed interfui, cùm manſiſſem apud illum aliquot menſibus Pontificis Maximi, ſedisq; Apoſtolicæ Legatus, hancq; ipſam pacis actionem cum eo, cauſamq; tractaſſem. Ille (inquam) mihi mirabiliter ſatisfaciebat. Habebat tum arma in manibus, uiribus ſuis fidebat, dolore aduerſus te, & ira commouebatur: & tantam ſibi à tuis contumeliam in ſuis Legatis impoſitam nimis te tuliſſe negligenter conquerebatur. Sed tamen in illo tanto motu animi, & iracundiæ impetu ſæpe flectebatur ad audienda conſilia pacis: quam ego nactus opportunitatem Regis rationi magis, quàm iracundiæ obſequentis, illius ingenio, & prudentia fretus, qua is inſigni, & magna præditus eſt, eò tandem rem deduxi, ut ille ad extremum Pōtificem Maximum arbitrum iuris ſui, & omnium controuerſiarum, quæ inter uos eſſent, iudicem, moderatoremq; ſtatueret. Sed in quo intimos eius ſen-

ſus ego penitus perſpexi, poſteaquam non alienus à
ſtudio pacis eſſe cœpit, quotiens ille inter ſuos de hac
pace ueſtra, & recõciliatione priſtinæ gratiæ loque-
batur? quotiens cum gemitu declarabat dolorem ſu-
um? quòd ueſtris illis tunc odijs, ac diſcordijs in ul-
timum diſcrimen Chriſtianæ Reip. *propè ſalus de-*
cidiſſet? quantopere optabat, quàm cupiebat? ut
ambo unà animis, ſtudijsq́; coniuncti, depoſitis inimi-
citijs ea gereretis, eaq́; ſuſciperetis, quæ eſſent ueſtræ
quidem potentiæ, ueſtræq́; fortunæ: ſed multò magis
honori, nomini, uirtutiq́; conſentanea? quod nunc ita
factum eſſe, ueſtrasq́; mentes in unum, & eundem ſen-
ſum amore, concordiaq́; coiſſe, & Deo *immortali me-*
ritas, debitasq́; gratias, quantæcunq́; à nobis concipi,
& haberi poſſunt, & tibi Imperator *maximas ha-*
bemus. Et *ſi enim* Chriſtianiſsimi Regis *grata nobis*
uoluntas, & animus eſt probatiſsimus, tibi tamen, in
quo pacis, & belli ſummum arbitrium ineſt, quòd
ſaluos fore nos poſſumus iam ſperare, referimus ac-
ceptum. Tuum *eſt enim hoc beneficium* Cæſar, *tua*
gratificatio, tuum munus, tua in omnes populos
nunc ſe clementia, & bonitas effudit, quòd pacem
Chriſtianis populis præbuiſti; qua non ſolùm homi-
nes, ſed nimirum pecudes, agri, tectaq́; lætantur.
Q*uòd ſi tu is eſſes, qui magnitudinem animi tui ſpa-*
cijs, regionibusq́; terrarum; nominis autem famam
tempore aliquo definires, & ſatis multa iam exta-

R ij

rent tuarum clariſſimarum uirtutum indicia, ac monumenta: & nos hoc ſingulari pacis per te nobis redditæ beneficio contenti in præſentia eſſemus. Communi enim ſalute (quod ad tollendas inteſtinas diſcordias attinet) per tuam nobis prouidentiam conſtituta, cætera, quæ ſuperſunt grauia illa quidem, atq; magna, Dei conſilio, & futurarum rerum euentibus permitteremus. Sed cùm nec tuus iſte animus plenus maximarum, pulcherrimarum cogitationum conquieſcere poßit, donec ea pariat, quæ iandudum illi concepta ſunt: & tua ſemper conſilia ſpectauerint æternitatem, nec ſe ullis temporum curriculis circumſcribi paſſa ſint; quid eſt iam Cæſar, quod tibi aut nos ſubijcere, aut tu per te capere, & deliberare poßis? niſi illud extremum tanquam portum, ut nauigationum, ſic præteritarum actionum omnium tuarum, ut terminos imperij, & magnitudinis tuæ, in Turcarum, & barbarorum regna promoueas, quæ ita tuæ uirtuti, atq; laudi cùm noſtra omnium ſpe, tum Dei prouidentia reſeruata ſunt, ut de diuino conſilio certè dubitare non debeamus. Quid enim fuit, quòd illius Imperio, & ditione inter noſtrarum occaſiones diſcordiarum ijs aliquot iam annis uehementer auctis: Aegypto ad ueteres eorum opes adiuncta: Perſis ſummotis, Illyrio uexato: uictis, & ſubactis Pannoniorum fortißimis gentibus; quas armis ſuis ſæpenumero ante laceßitas,

neq; unquam domitas, haud ita pridem Cæſar, te pene inſpectante, ante oculos (inquam) propemodum tuos, non uictoria, ſed occaſione oppreſſere. Cùm tu Gallico bello diſtractus, auxilium illis tum ferre non poſſes. quid fuit (inquam) quòd cùm inſultarent maxime, cùm urgerent, cùm in noſtro ſanguine, noſtriſq; cladibus inſolentius quotidie, crudeliusq; debaccharentur, repente iſta pax ex tantis, & tam implacabilibus inter uos (ut uidebatur) iris, atq; diſcordijs, uelut inſperatum de cœlo lumen effulſit? Nonne hoc nobis indicauit Deus, & uoce ſua quaſi teſtatus eſt, uelle ſe, eum, quem haberemus præcipuum tutorem, & defenſorem Chriſtiani nominis à cæteris curis, & impedimentis liberare: quò is neruos omnes ſuos conſilij, fortitudinis, potentiæ, quibus firmiſsimis, & ualidiſsimis eſt prædi tus, in hanc unam cogitationem, & ſtudium belli ſanctiſsimi apparandi conferret? quid? in eodem te ab eodem Deo, nonne diuina illius mens, & uoluntas nobis eſt ſignificata? cùm Chriſtianis nationibus in plures principatus, uariaq; Imperia, non tam diuiſis paulò ante, quàm fractis, ob eamq; cauſam armis Turcarum reſiſtere minus ualentibus, quòd in difficili conſenſione noſtrorum illi uno capite, & uno corpore conſentientes ingruebant; tu ab eo ipſe Deo in tam multis ſæculis unus electus es, in quem mirabili quadam, non fortuna, ſed eiuſdem Dei

prouidentia, inopinatis quidem certè rerum euenti-bus, totum Chriſtiani nominis robur confluerat: qui ſummum honoris in toto orbe principatum pari for-tuna, & ſapientia cumulares. Ergo hæc tibi Cæſar omnia ab Deo, & data, & parata ſunt; quò aditus apertos ad res gerendas maximas haberes. nunc tibi uidendum ipſi quid ſis facturus. Pendemus de te om-nes, qui Remp. ſaluam eſſe cupimus. ea porrò ne-quit eſſe ſalua; niſi Turcarum uires, animiq; fran-gantur: eæq; ab illis prouinciæ repetantur, quas ipſi in amentibus diſcordijs noſtris inſidioſo bellandi genere nobis ſurripuerunt. Tu unus ad hanc actionē tantam, tamq; præclaram idoneus nobis diuinitus donatus es. Nonne ergo tua mens cum Dei omni-potentis iudicio de te, menteq; conſentiet? Omnibus es munitus Cæſar, inſtructusq; præſidijs, quæ ad huiuſmodi bellum aggrediendum ſunt requiſita; uir-tute, potentia, conſilio, magnitudine animi, ſcien-tia bellorum gerendorum; quodq; ad rem non me-diocriter pertinet, plurimumq; in bellis ualere ſo-let, militum etiam robore, & fortiſſimorum du-cum uſu bellandi, ac peritia. Namque hoc tamen commodi ex præteritis Reip. malis, incommodiſq; accepimus, quòd maximas manus ueteranorum militum paratas, armataſq; habituri ſumus, quid res geſtæ tuæ? quid tuus inuictus animus, neque ſolùm aduerſus homines, ſed contra ipſam etiam

ſortunam, omnesq́; caſus humanos immobilis, atque conſtans, quem ſatis hoſtes noſtri ſpectatum habent, & cognitum? quid nomen? quid auctoritas? quæ tanta in te eſt, quanta in omnibus Romanis principibus, poſt Theodoſium, Carolumq́; non fuit? parum ne illa hoſtes tuos deterritura eſt? qui quidem paulò ante, dum tu Gallico bello implicatus tenerere, tot, & tam magna timoris de te ſui ſigna dederunt: maximas claſſes in auxilium Galliæ miſerunt: Italiæ, & Siciliæ littora depopulati ſunt: Viennam urbem tuæ, fratrisq́; tui clariſsimi Regis ditionis obſidione tentauerunt: omniaq́; contenderunt; quò tu domeſticis malis diutiſsimè impeditus, ad eos accedere, & conuertere in illos iuſta arma ne poſſes. qui te cùm tantopere formidauerint impeditum; ſolutum, & liberum quò nam modo pertimeſcent? An tu præter pietatem etiam tuam, præterq́; munus officij, quod Chriſtianæ Reip. Imperator præfectus ſuſtines, etiam illorum in te ipſum iniurijs, grauibusq́; contumelijs non commouebere? non illas ultum ibis, cùm is ſis, qui omnia potius perpetienda tibi ducas, quàm ullam uel minimam uiolationem dignitatis tuæ? Tu, qui paulò ante duobus potentiſsimis principibus reſiſtebas unus, cùm & Gallico bello occuparere, & eodem tempore Turcarum arma propulſares; nunc Rege Chri-

ſtianiſsimo, nouo tibi fœdere, nouaq; beneuolentia adiuncto, qui antea quoque fraterna tecum erat neceſsitudine coniunctus; nouis, magnis, firmisq; auxilijs auctus; cùm quod contra te erat, id pro te futurum ſit, teq; uehementer adiuuet quod antea impediebat, nudatas ſpe, & occaſione, qua maximè nitebantur, Turcarum uires non deſpicias? At permagno illi ualent equitatu, quo in genere tamen numero ſe magis, q̃ uirtute oſtentant. non eſt omnino hoc de ijs ſingillatim rebus loquendi, & deliberandi tempus, quod tum erit aptius, cùm iam decreto bello, aut uoluntate tua Imperator, perſpecta, iſta ſuis locis uenient in conſultationem. Sed tamen, ſi aliquid eſt à nobis aduerſus hanc famam hoſtilis equitatus dicendum: nos, tametſi equites etiam nobis ſunt, quos uirtus potius commendat, quàm numerus, nonne legiones præterea fortiſsimas? nonne exercitatiſsimos in armis pedites obtinemus? quibus carent illi, & in queis præcipuum exercitus robur, ſpesq;, & ratio uictoriæ certior locata eſt? Nam equitibus quidem multæ formidines, & moræ, multáq; obijci impedimenta poſſunt, uel locorum, uel fluminum, uel militarium etiam inuentorum: quibus freti quondam populi Romani duces, nunquam ſibi ad committendum prælium cum hoſtibus, multitudinem equitum impedimento fore putauerunt: propterea

quòd

quòd facilè perturbatur id copiarum genus. Nam equi nec ratione doceri, nec cohortationibus confirmari queunt, ut ſtent, ut confidant, ut ne ulla obiecta formidine terreantur. Quibus de rebus memoria teneo tecum me Imperator, ad Niceam eſſe locutum. Cùm ego tibi nonnulla huiuſmodi commenta, quæ ad turbandos equitatus hoſtium idonea eſſe uiderentur, exponerem. Tu uerò plura multò, & meliora proſpiceres. Igitur indociles equi: at peditum ad omnem nutum & paratus animus; & ad uincendum pertinax eſt contentio. Nam quod ad copias, & commeatus, & ipſas pecunias attinet, quos neruos belli plerique uocauerunt, poteſt ne eſſe dubium, quin ciuitates, populi, Chriſtianæq́; nationes, quæ in hæc ſocialia bella inuitiſſimæ contulerunt, in hanc ſanctam, & ſalutarem omnibus expeditionem libentiſſimæ ſint, non tantùm opes ſuas, ſed corpora etiam, & liberos collaturæ? Quamquam & bellum alere ſe ipſum ſolet, ſi ratione, & ordine ſit adminiſtratum: quæ quidem ratio, uiſq́; prudentiæ in te Carole ſumma eſt, ſi in ullo unquam fuit. Quamobrem aggredere (quæſumus) hoc opus pulcherrimum omnium, & maximum, & cui tua magnitudo par ſola eſt. Non eſt illud Imperatorium, neque Regium (crede mihi) contentum eſſe terminis, qui à maioribus ſint relicti, aut pro-

*ferre eos conari ex ſociorum detrimentis, atque damnis: quaſi parum multa ſint in conſpectu barbarorum regna, parum multæ hoſtiles nationes, in quas iure inuadi, & quibus ſanctè bellum inferri poßit: nec rurſus dedere ſe delicijs, & uoluptatibus, id quod à tua mente ſemper abhorruit. Non enim tu ad ocium, nec ad deſidiam, ſed ad maximas ſemper res agendas, & cogitandas natus es: nulla habet maiorem iucunditatem uirtus, quàm recordationem rerum pulcherrimè geſtarum. nihil eſt animis præſtantibus propoſitum ad diligendum, & cupiendum, quod finitum terminis ſit. Caduca ſunt enim, & fallacia omnia, quæ ſpatijs circumſcribuntur: animos magnos, atque excelſos in immenſum excurrere oportet, cùm regionum, terrarumq; Imperio, tum famæ, & laudis in poſteritate, tum uerò beatitudinis, & felicitatis in illo cœleſti, & immortali regno *. Ad quod regnum, Carole Cæſar, & ad quæ præmia, decreta, & conſtituta illis, qui diuinis muneribus ornati, ad eiuſdem Dei gloriam cohoneſtandam uſi ſunt, tua te laus, atque uirtus, tuus iſte longè præſtans, atque eximius animus, tua natura, tua ſumma prudentia, tuus ille notus immortalitatis amor, tuæ curæ, tui tot antea à te ſuſcepti pro Rep. labores, tuus honos, dignitas, exiſtimatio: imprimis autem in Deum, & Chri-*

ſtianam religionem tua pietas uocat: ipſiq; nos cuncti (pro omnibus enim loquor) eundem te, & uocamus, & flagitamus: ut cùm gratias tibi tantas pro hoc exoptatæ pacis opportuniſsimo dono per te nobis conceſſo, datoq; debeamus, quantas perſoluere non poſſumus, eò te ſublatum gloriæ, amplitudiniſq; uideamus, quò noſtra deſideria aſpirare uix poſsint: & cùm omnia omnes egerimus, quæ uel in gratulando tibi, uel in gratias agendo, uel in celebratione tuarum maximarum laudum, uel in commemoratione rerum à te pulcherrimè geſtarũ effici à nobis poterunt, nunq̃ tamẽ tam altè officijs aſcendere ſeſtinamus, quin diuina tua in nos, et in Chriſtianam Remp. merita ſemper multò ſint ſuperiora.

Errata nonnulla operariorum, & quædam per nos recognita ſic reponantur.

Pagina ſecũda. uerſu pri. b. ſubleuationẽ	*ſuſceptionẽ.*
Pag. 3. uer. 3. b. ſupra	*antea.*
P. 4. uer. 8. a. meritò reſpuere	*meritò (inq̃) reſpuere*
P. eadem. uer. 12. b. oportune	*opportune*
P. 5. uer. 5. b. cælum	*cœlum; & ſic ubiq; reponatur diphtongum œ pro æ.*
P. 6. uer. 20. b. contemnere	*contemnere.*
P. 7. uer. 10. b. ita nunc literis	*ita nunc ijſdem*

P.7.uer.23.b.cæpiſtis   cœpiſtis. & ſic ubiq; repo natur diphtongum œ pro æ.

P.8.uer.12.a. interprætandis   interpretandis

P.e.uer.21.adiuuaſtis   adiuuiſtis

P.e.uer.11.b.iuuentis   iuuentutis.

P.10.uer.17.a. Illiricum   Illyricum

P.e.uer.18.immunerabilibus   innumerabilibus

P.12.uer.10 a.cæteræque   cæteræq;.

P.12.uer.5.b.uiueretis   uiueretis?

P.e.uer.8.conſideraretis?   conſideraretis.

P.16.uer.2.a.certitudine   certa uia

P.e.uer.4.certitudo   perfecta cognitio

P.24.u.20.b ſi ſic ſe res habet   ſiquidē ſic ſe res habet

P.e.uer.22 id enim cōe   id.n.unum commune

P.25.uer.5.a Phyloſophorum   Philoſophorum.

P.28.uer.17.b. ſpeſtatos   ſpectatos

P.e.uer.26.b ſimijles   ſimiles.

P.36.uer.4.a. &   eſt

P.38.uer.1.b.Imperiū.   hoc tabulæ nomē aliter reponendum uidetur, licet ita habeatur in exemplari.

P.39.uer.15.b.Drſa   Vrſa

P.51.uer.14.a.hæc   hac

P.61.uer.7.b.& * ſententiæ. item.65.uer.18.b. regno *. poſiti ſunt duobus his locis aſterici: quoniam aliquid ad explendā ſententiam deeſſe uidebatur, aut aliquid immutandum, cùm ita tamen legeretur in archetypo.